

**Michaelis Friderici Lochneri archiatr. caes. com. Palat. ... Commentatio de
ananasa sive nuce pinea Indica vulgo pinhas / Ad ... Hesperidum
Norimbergensium scriptorem [J.C. Volckamer].**

Contributors

Lochner, Michael Friedrich, 1662-1720.
Volckamer, J. C.

Publication/Creation

[Norimbergae] : [Typ. Endter], [1716]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/gaefebdk>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



33899/B

MICHAELIS FRIDERICI
LOCHNERI

ARCHIATR. CAES. COM. PALAT. NOBIL. ACAD.
LEOPOLDINO-CAROLINAE NAT. CVRIOS. EPHEMERIDVM
DIRECTORIS, MEDICI NORIMBERGENSIS

COMMENTATIO

^{DE}

ANANASA

^{five}

NVCE PINEA INDICA

^{vulgo}

PINHAS.

^{Ad}

NOBILISSIMVM ET SOLERTISSIMVM
HESPERIDVM NORIMBERGENSIVM
SCRIPTOREM.

[1716]

MICHAELIS FRIEDEM
LOGHNERI

VIRGINTATI. GEST. COMITATU. NOVI. VACAB.
TROGIO. NO. GREGORI. VENAT. CAV. ET. TIT. DAB.
DIRECTORIS MEDIC. NORWICENSIS.

COLLECTANTIO

50

AGATHA

58702(4)

NICEPINICA



PI

HERBARIUM MUSEI BOTANICI
SCOTTORUM



VIRO NOBILISSIMO
IOANNI CHRISTOPHORO
VOLCAMERO
S. D.
M.F. LOCHNER.

Pagellas de *ANANASA* conscriptas, nemini cuiquam potiori jure me consecrare potuisse ac debuisse, quam TIBI, *VOLCAMERE* optime, quilibet aequissimus rerum aestimator facile judicabit, qui perpendet, *TE* easdem TIBI jam vindicasse. Cum enim, quae de *Planta* hac ejusque fructus sapidissimo, perpetuis Praxeos impedimentis obrutus, ex *Historiae naturalis* fontibus hausta collegaram, expeteres novo *Hesperidum* Tomo inferenda; communica*vi* ista ec*schedis* excepta confusaneis, non tantum lubentissime; sed et cum placere le*vidente* illud munusculum intelligerem, in animum porro induxi, sub incudem revocare eadem, atque addere, quae sparsim de *Fructuum* hac *Regina* ab *Exoticarum* rerum Scriptoribus sunt annotata. *Vnde* *Schediasma* præsens est enatum, quod *Hesperidum*, *Latiali* *toga* *indutarum* Tomo accessionis loco subjungi queat. *Est* itaque labor hic meus *RAMVS E LVCO* *Hesperidum*: *Tuarum*, quem in suburbio ab *Avo* Tuo IOANNE, *viro* candore Germano, Pietate seraque Senectute venerando, plantatum, et ab incomparabili Parente *TVO, IOANNE GEORGIO*, *magis* *aut* *ctum*, ipse liberalissime alis, amplificas.

Ditavere locum ingressæ splendentibus umbris
Hesperidum *Citrus*, *Malus*que *Nerantia* quondam
Gloria, perpetuis vestitae frondibus ambae

Per-

Perpetuo flore ornatae, foetuque tumentes
Perpetuo.

Innata quippe VOLCAMERIS naturalium scrutandorum cupiditas a Parente beatissimo, qui id omne propemodum complexus animo, quod naturalis scientiae sibi humana acquirere mens potest, ad Filio transmissa est.

Quid de Fratre Tuo, IOANNE GEORGIO, Botanicorum
nevi nostri Principe, dicam? cuius stupendam in hoc studiorum
genere notitiam

Ausonius stupet, Gallus veneratur, et Anglus
miratur, Teuto coelica ad astra vehit.

Fratri Tui alterius, FRIDERICI, viri, dum vireret, candidi
rueique pectoris, Museum praestantissimum omnibus haec studia
colentibus jam dudum innotuit; idque larga indies augmenta
capit a Filio Tuo, harum rerum amantissimo, utpote ad quem istud,
fausto omine, haereditario jure est translatum.

Sed cum non id agam, ut laudes Vestras canerem; aliis quidem
hoc munus concedo. De Te autem non possum non, veritate suffragante, praedicare, quod aeterno Tuo Hesperidum Opere extero-
rum quoque praeconia promerueris. Germaniam vero nostram,
cultissimis accensendam regionibus, contra Taciti injurias dum
strenue asseruisti, Patria haec nostra TIBI in aeternum obstricta
erit, et

Quicquid reddidit illa Gratiarum,
debet: neque enim Tuo labore
sat dignas dederit puto Tibi unquam.

Vale.



Commentatio
de
ANANASA,
sive
Nuce Pinea Indica,
vulgo
Pinhas dicta.

* * *

C A P V T I.

Nana fructuum Regina. Ex *America* primum allata. *Mart. Bohemus*,
Freti Magellanici Inventor. *Brasiliam* agnoscit Patriam, quam
et *Parreira brava*. *Ananasae Mexicanae et Haytanenses* praes-
tantissimae. Nascuntur in Insulis *Antilles* dictis, *Jamaica*,
Francia Aequinoctiali, *Cajenne*. *Guajanensium* praestantia.
E Provincia *S. Crucis* in *Indiam orientalem* transplantatae. In
Java majori et *Malabar* nunc sponte proveniunt majores Amer-
icanis. *Commelini* Laus. In *Siam* e *Peru* illatae. *Siamenses*.
Bengalenses. *Ceylanenses* Batavicis in *Java majori* potiores. In
Africa alit *Guinea*, unde accepit *Belgium*. *Clusii* Laus. In
Capite B. Spei plantavit *Cleyerus*. Germinant in *Insula Bourbo-*

nia et S. Mauritii. Belgae Europam hoc fructu bearunt. Pa-
ludanus ante hoc seculum coluit. Floret in Hortis Academiae
Lugdunensis, Amstelodamensi, Muntingii, Parisino. In Bosiano
pro Ananasa culta Anona. Hujus descriptio. Occasio erroris,
Synonyma. Philoponus Ananasam et Bananasam confundit. Haec
describitur. Plures Ananae descriptiones. In Svvebbertiano
Horto copiosissima est. In Volkameriano. Saccharo incrusta-
ta olim in Museo Besleriano. Kircheri vanus metus. Solum
Norimbergense optimum colendis quibuscunque plantarum
generibus.



N Lector Benevole!

Fructum fructibus omnibus priorem,
Qui sunt, qui fuerant, erunt, priorem,
NANAM fructibus eminentiorem;
Quantum sunt teneris cedri salictis,
Pratis celsius aut jugum Pyrenes,
Aut convallibus infimis nivosaे
Alpes.

Haec jure merito Plantarum , quas orbis Terrarum complectitur , inque sinu fovet , dici potest Regina , in quam omnes gustus suavitates , omnes saporis illecebras παρηνθε contulit. Proinde quoque Rex Regum ac Vniversi omnipotentissimus Plantam hanc foliacea corona exornavit , ceu luculento in reliquos fructus praepollentiac et dignitatis omne, in quo diademate herbaceo regiae subolis futurae primordia , plantaeque, e fatiscente morienteque genetrice reviviscentis, rudimenta delitescunt, a plastica terrae vi temporis successu evolvenda et eruenda.

Non

Non autem Europae nostrae est indigena, sed e remo-
tissimis regionibus advena, et quidem ex India,

Praecipites Phœbi qua rota mergit equos,

quae nunc vulgo quidem *America* dicta, rectius autem, se-
cundum immortalis gloriae virum, quondam nostrum
Wagenseilium, occidentalis Bohemia ideo nominanda,
quod *Martinus Bohemus*, e familia hujus urbis Patricia, lae-
te in hunc usque diem virente, et cum aeternitate, volen-
te Deo, perennatura, oriundus, jam ante Christophorum
Columbum et Ferdinandum Magellanum, Oceani hacte-
nus cogniti terminos ac fines, metasque hominum extre-
mas et ultimam Thulen praetervectus, Azores Insulas de-
texit, Fretumque Patagonicum, vel Magellanicum dictum,
Lusitaniae Regi radio prius delineavit, quam Magellanus
de Expeditione sua cogitasset. Freto huic Patagonico, seu
potius Boheimico, vicina *Brasilia*, has fructuum delicias
primitus gustandas advenis Europæis obtulit, ut sic ean-
dém, quam *Parreira brava*, nuper demum a nobis descri-
pta, agnoscat patriam, et binae Plantæ quasi sorores Can-
nibalum sint natae

- - - - - *sub oris,*

Magajatas ve inter duros et pinguis via labra

Tappinaquum, facili versu quos dicere non est,

Patagonas que truces, et nudas membra Tapuyas.

Hæc tæt hominum monstros infamis regio, e Cl. Breynii

Plant. Exot. Cent. Cap. I. elogio, non solum propter mitem, sanitatique humanae maxime salutarem caeli temperiem, atque alios humanae indigentiae subvenientes commoditates, sed etiam ob varios, quibus beata est, fructus praestantissimos, (quos inter Ananasae palma tribuenda,) imo propter salutiferos ac mirabiles plantas, quas Terrae gremium tam larga copia effundit, hanc assecuta est praeeminentiam, ut inde addubitent nonnulli, an ulla mundi habitati regio huic preferenda? ac terrestris quidem Americae Paradisus hinc multis visa: dignissimum certe tali Patria fructum!

Mexicanum quoque regnum, ab urbe cognomine, orbis totius urbium spatiofissima, turribus tectisque plusquam septuaginta quinque millibus superbiente, celeberrimum, cum pleraque sui parte propemodum ad luxuriem frugiferi soli, saluberrimi caeli, frugum tam sponte sua, quam cultu nascentium feracissimum, Ananasae etiam felicitate proventu tanto dives est, nusquam ut pene gentium fructuum deliciae Ananasis Mexicanis, et in specie quidem Haytanensis, certent, teste Nard. Anton. Recch. Rerum Medic. Nov. Hispan. Libr. VIII. cap. 78. p. 311. & R. P. Nieremberg. Histor. Natur. Libr. XV. cap. I. p. 335. Porro Insulae Antilles vulgo dictae, quarum ingens in hemicycli figura numerus ab australi maris Atlantici tractu jacet, et sinu curvato in aestivum occidentem sinuatur, fructum nostrum porrigunt. Imprimis natas in earum cingulo, S. Christophori Insula, ab Anglis Gallisque simul habitata, Ananasas

nasas prae reliquis extollit R. P. Thomas Gage en de nieuw-ve
ende seer naukeurige Reyse door despaensche West Indien Lib.III.
c. 22.

Insula *Jamaica*, Mexicano implantata archipelago, sub Anglorum nunc, olim Hispanorum dominio, rerum ad vitae affluentiam usumque fertilitate nulli secunda, virore litorum et camporum assiduo gaudens, nec Ananas a destituitur, cum Excell. Sloane testimonium ferente in Catal. Plantar. in hac Insula provenientium p.79. in hortis agrisque pinguioribus Insulae ubique plantetur, et ubique luxuriet.

Sic in *Francia* quoque AEquinoctiali, *Insulaque Cajenne* dicta, laete proveniunt, ceu hoc refert dans la Voyage de France Equinoxiale en l'Isle de Cajenne le Rey. Pat. Bier Libr.III.

Imo *Guajenenses* Brasiliensibus anteponit Otto Kavent im furzen Entwurff von Neu Niederland und Guajanen cap. XV. Haec cum ita sint, nullus dubito assertere, reliquas itidem occidentalis Indiae plagas his palati lenociniis excalentis operam impendere.

Caeterum apud omnes Historiae naturalis Scriptores in confessu est, e Brasiliensi, et in specie Sanctae Crucis provincia, in orientalem Indiam transplantatas fuisse has plantas, successu equidem adeo felici, ut Brasilienses mox vicerint, teste avtopta Neuhofio en de gedenkwaerdige Zee en Lant Reizen van OstIndien p.239. *Java* certe major, quae prae soli felicitate nimia cultorem in plerisque locis designatur, nunc sponte Nanas promit, saporis gratia et vastitate

Americanas superantes, in gratissimam dulcedinem gustu desinente, foliis licet variantibus, et Americanis angustioribus: quod de *Malabarenibus* quoque testatur eruditissimus Horti hujus, Regii certe operis, commentator, Comelinus, Senator Amstelodamensis,

Pater Florae

*Geniusque florum, stirpiumque nutritor,
Florum peritus et peritus herbarum.
Quascunque Phoebus spectat, aut alit tellus,
non nostra tantum, sed cuncta,
quam Pontus ambit aut Olympus involvit.*

In vastissimi *Sinensis* Regni provinciis *Quantuum Chiamſi* et *Tokien* laete pullulare, et ex America Peruviana Chinae sive Sinae illatas esse, communem famam secutus ad *avaricos* ille Kircherus in Chin. illustr. p. 199. meminit, et ex illo Olferdus Dapper in Sina. *Siamenses* Ananasas Christianissimi Monarchae ad Regem Siamensem Ablegatus Dn. de Loubere, dans la description du Royaume de Siam T. II. p. 71. *Bengalenses* Dn. Thevenot Voyages des Indes orientales Libr. I. cap. 40. p. 204. *Ceylanenses* iam citatus Neuhoefius celebrant, et hic praesertim Batavicis in Java maiori delicatores pronuntiat, succulentiores quippe gustuique maxime ab blandientes. Et sic de reliquis: has etenim fructus in regionibus Indiae utriusque ubique fere nunc plantari, nullum plane dubium Neuhoefio.

- - - - *Vides, dites quas sufficit utraque Gazas
India.*

Nec

Nec *Africa*, novarum semper rerum ferax, hoc vacat fructu. In *Guinea* (ubi tanto opulentiora montium sunt viscera, quanto paucioribus antehac penetrata, quae proinde auro non tantum simplici, sed prorsus obryzo turgent, unde regioni quoque nomen auriferi littoris) hic fructus laetissime progerminat, teste Bosmanno in regionis hujus accuratissima descriptione p. 314. Imo jam ante centum & quod exurrit annos a *Guinea* primum in *Belgium* delatas Ananasas, testatur Not. in *Acostam* latiali toga indutum, incomparabilis Clusius, qui

- - *quicquid tellus vel America, vel quae India surgentem ad solem, vergensue cadentem invisum Europae et nostris produxerat oris, (quae variis alii scripserunt singula linguis) donarat Latio felicis munere pennae, eximiis fulgens per totum laudibus orbem.*

Neque e litore illo Africano extremo, a spe optima, quae ex amoenissimae hujus plagae ac refectionis loci inventione apud Lusitanos, in Indiam orientalem per Oceanum primum navigantes, oriebatur, non frustra se tantum laborem, tamque difficile iter suscepisse, *Caput Bonae Spei* dicto, hic fructus amplius exulat. Licet enim littus hoc, montibus ad horrorem excelsis insessum, leonum terribilium aliarumque bestiarum crudelium, infinita pene multitudine ibi degentium, sit sustentaculum; ubi montes tamen deficiunt, et tractabilius in planicie solum, florum suavissimorum, herbarum saluberrimarum fructuumque deliciosissimorum praedi-

praedives existit hortus, teste Cl. Breyne. Plantar. Exotic. Centur. Prim. Cap. I. p. 1. Tempore equidem Dn. Wilhelm. ten Rhyne, ampliss. Soc. Ind. orient. Medici et a Consil. Justitiae, illic extitisse, dubito, cum in Schediasmate, hoc de Promontorio scripto, Cap. VI. ubi de Plantis agit, nulla Ananasarum fiat mentio: post ejus tamen abitum in Japaniam, per Dn. Cleyerum horto, ad Belgici Gubernatoris Castellum extructo, illatas fuisset, Meisterus in Hortulano Indic. orientali gloriatur p. 23. easque inibi nunc laete virescere, testantur Rev. PP. e Societ. Jesu in Itiner. Siamens. Libr. 2. p. 61.

Ab Insulis quoque Africanis non extorres esse Ananasas, probat Franc. Legvat, qui in Insula *Mascurenhas*, alias *Bourbonia*, nunc a rerum omnium affluentia *Eden* dicta, ut et in Insula *S. Mauritii*, hoc gustus exquisitissimum blandimentum reperit; ut alias Afras Insulas hoc itidem fructu superbientes sileam.

Cum autem omnes has, quas peragravimus, mundi partes lucri cupida puppe Batavus aret, quid mirum has deliciosissimi fructus cupedias ab illis Belgio & hinc Europae nostrae, regionum orbis beatissimae, fuisse allatas. Sic Cl. Paludanus Not. in Linschotanum eruditissimis, principio prioris jam seculi se jactat, in suo horto domestico ex India missas Ananasae extitisse plantulas, a frigore Belgici caeli climatisque inclemencia destructas. Accedente tamen intimiori exoticarum, sive in hospitium quasi exceptarum Plantarum cultura, calorisque debiti regimine et exaltatione, in variis simul exculta est Batavorum Hortis. In Botanicorum

corum Coryphaei, Excell. Hermanni, Horto Academ. Lugd. Batav. exhibente Plantas omnes, quibus ab Ann. 1681. ad Ann. 1686. hortus instructus fuit, Ananas quoque p. 37. comparet. In Amstelodamensi Horto Medico singulis annis arte exultam fuisse, et sat magnos et maturos protulisse fructus, testatur Excell. Comelinus in Hort. Medic. Amstelod. rario. Plantar. Histor. T. I. cap. 57. p. 109. Horto quoque suo vindicavit, tandemque operi immortali, *Nauwkeurige Beschrywing der Aardgewassen* CLIX. Hooftst. p. 494. inseruit Excell. Muntingius, quo libro e Plantarum insolentioribus

*- - depinxit quicquid sub cardine nasci
sciverat Eoo, viderat occiduo.*

Eodem pene temporis articulo in Parisino culta fuit horto, si fides adhibenda scholae Botanicae Parisinae Collector. 10

Quis Germaniae Hortorum in sinum suum primus reperit, incertum. Quod si Hortum Bosianum, quoad Exotica a Celeb. Paul. Ammann. Lips. jam Ann. 1686. descriptum, inspiciamus, Ananasam nostram Catalogus quidem exhibit: at instar soricis se prodit vir caeteroquin *Botanum*, inter reliquos, quos citat Auctores, Horti Malabar. T. III. p. 23. allegando, ubi non Ananas Oviedi, sed Anona Maram, seu forte Anona Oviedi comparet, quae Arboris Jakae sive potius Atamaram, Tab. 29. p. 21. ejusdem Tom. descriptae, videtur species; ut sic non Ananas

sam nostram ; sed Anonam vel sylvestris Nanae speciem, tunc cultam fuisse , haud obscure innuat. Quippe cum Nana in aliquibus convenire videtur ; secundum Nard. Anton. Recchum enim in Plant. Nov. Hispan. cum Not. Terent. p. 348. et 454. ejus fructus *Abate de Panuco*, totus quasi e glandulis constat, pineae nucis figura ; secundum Hort. Malabaric. autem fructus conum exprimit, pineae pariter similem, interius albicantem, nec non medulla succulenta saporis grati odorisque suavis refertum. Tantum autem Virum hallucinatum nemo miretur, cum nominis diversitas facile quem in errorem inducere possit. Nec enim *Ananas*, *Ananasa*, *Ananazes*, *Nana* et *Nanana* apud omnes audit. Cave ergo, ne vocis fono deceptus, Ananasam et Anonam confundas, quod a Cl. Ammanno factum : vel Ananasam et Bananasam eandem credas, quod Philopono Navig. in Nov. mund. sive Amerie. Rev. PP. Benedictin. p. 53. contigit : cum *Bananas* plane diversa planta existat, Musa nempe caudice viridi, fructu longiore, foliato angulofo ; sive *Ficoides* vel *Ficus Indica* longissimo latissimoque folio, Musa Serapionis dicta Hort. Beaumont. E delineatione tamen fructus aeri incisa appetet statim, Ananasam fructum esse ; vocisque sonum aemulum errori ansam suppeditasse. Vocatur autem a Brasiliae primis incolis *Panacous*, *Lerio*, *Hoyriri* autem, Theveto teste, Sinen-sibus *Vnglay*, *Neuhofio*, et *Fan-polo-mie* P. Kirchero sic sentiente ; Siamensibus secundum Dn. de Loubere *Saparot*, Malabarensibus *KapaTsiaka*, ut ex Horto Malabarico liquet. *Nardus* Ant. Recchus illam a Mexicanis *Mazatli*, Oviedus autem

autem tres species diversis nominibus vocari refert, nempe *Tajama*, *Boniama* et *Fajagva*, et quae sunt alia

*peregrina vocabula fructus
pene timenda sono guttur laesura loquentis.*

Post obitum tamen Ammanni, et adhuc illo vivente, in instructissimo istoc Horto, hanc quoque adolevisse plantam, nemo ambigit, qui in illum ex omnibus mundi partibus plantarum migrasse foetus rariores novit: multo tamen citius in Illustriss. L. B. de Munchhausen, Potentissimi nunc Britannorum Regis, et Elector. Luneburg. Consil. intim. Horto Svvebbertiano, prope Hamelense Fortalitium extructo, cum aevi nostri praestantissimis comparando, Ananasam nostram excultam fuisse, hoc certe evincere videtur, quod ibi aliquot centenae Ananasarum laete progerminent, cum nostris in oris vix singulae adhuc enascantur.

Hoc certissime affirmare ausim, in amicissimi Volkameri nostri, Naturae mystae latentis intimi, Horto domestico, tunc statim cum de Ananasae apud Europaeos cultu fama percrebusset, illam apparuisse, caputque inter caeteros rarissimae notae fructus extulisse; ut nunc vegetam, vigentem, floridulam intueri possimus, quam Saccháro incrustatam tantum et immersam, effoetam et elanguidam, ante seculum in urbe nostra patria, in Besleriano, nunc Engellandiano Museo, ~~obis didicit~~ cum explicatione mox prodituro, conspeximus et aeri insculptam admirati sumus. Adeoque metus R. P. Kircheri vanus extitit,

C A P V T II.

credentis, Fructum hunc in aliud transplantatum clima
μεταβαίνεις αλλογένος. Nullum enim supereft dubium, acce-
dentibus indefessis culturae curis, fore tandem, ut solo
caeloque assueta familiarior nobis reddatur; sic enim con-
tigit, ut non tantum in hortis, sed et in Agro nostro No-
rimbergensi, pro sterili olim arenosoque habito, nunc illae
quoque plantae luxurientur, quas nobis maximis suppedita-
runt olim sumptibus

alio sub fidere terrae

Trans Indos, extraque vias et solis et anni:

ut, quod de Gallia sua omnium rerum feracissima Rev. P.
Rapinus cecinit, patriae nostrae et orientali Franciae jure
meritoque adaptare queamus:

*Est tamen omne solum Francae Telluris alendis
Hortorum arboribus rurique insigne colendo.*

C A P V T II.

Ananasae species. Verae et spuriae. Differunt (1) Fructuum α) figura. Ana-
nasa fructu ovato maximo; gingivam cruentat. Fructu conico
maximo, nuci pineae similis. Kov σ . Auctor libri de Alimento-
rum Facultatibus quis? Koukoura γ ios. Interpres Theophanis no-
tatur. Oviedi Yayama. β) Mole. Nana fructu conico minore.
Oviedi Jajagna. Haec Nana optima. (2) Foliorum colore et figu-
ra. (3) Aculeorum situ, frequentia. Nana Americana syl-
vestris spinosissima. Colore et absentia. Sinensis. Hessi Error
circa hanc. (4) Corona, qua carent sylvestres. *Kaidae* species.
ten Rhyne Horto Malabarico descriptionem virium addidit.
Nanae

Unable to display this page

Compos. Medic. sec. Loc. c. i. veteres *nōvēs* vocarunt, et Cedrenus *κώνων καρπούς*. Simeoni vero Setho, de Aliment. Facult. Lit. K. §. VIII. edit. Paris. Bogd. vel potius Psello, (hunc enim verum scripti Auctorem extitisse, et Sethum in Psellianos labores insaniisse, prodit Chiorum doctissimus Leo Allatius, inter *ἰατρῶν παιδεῖς* quoque referendus, Diatrib. de Simeon. Script. p. 182.) *κυκνάριοι* nuces pineae dicuntur. Circa hanc denominationem *δημοτίκος* habet Nonum de Morb. Curat. cap. 125. et Myrepsum sect. I. cap. 97. quamvis ultimo non *κυκνάριον*, sed *κυκνάρια* audiant. Continuator Theophanis Libr. 3. n. 43. mutilato nomine *κυκνάρια* appellat, ubi interpres *poma usui apta* minus apte vertit. Glycas in Chronico p. 302. *nōvāga* et Myrepsum quoque, *κυκνάρια* nominat. Quale cognomen et huic Ananasae fructu conico adaptari poterit; haec etenim esse videtur, quae ad similitudinem Sacchari, in conicam formam effigiati, Gallis *Pain de Sucré*, nostratis *Zucker-Hut*/dicitur. Linschotanus colo muliebri fastigiato comparat; *hebben de fatsoen glyk het hooft van en Spinrokken*. Haec species priori praeponet gustu, gingivas tamen earum usui nimium indulgentium, aequa ac altera cruentat. In hac Ananas semina granulaque coloris, secundum Pisonem Histor. Brasil. p. 87. subrufi, magis quam in reliquis conspicua deprehendit Pometus; eamque Oviedi *Tayamam* existimat Meisterus, quae vocanda prae caeteris prolifera; cum corona bifida trifidaque saepius superbiat.

Vt figura, sic mole ac magnitudine differunt Ananasae. Datur quippe Nana fructu conico minore carne aurea, et fru-

fructu ovato minore, quae gustus et odoris gratia ad Poma, Gallice Reinette vel Renette dicta, accedit, quam saporis a reliquis differentiam, forte Linguae Gallicae ignorantia vel ~~teudsgumnaia~~ seductus, Meisterus Rhenano Vino assimilat, et Oviedi *Fajagnam* credit. Haec omnibus aliis saporis odo-
risque lenocinio, e Rochefortii Pometique mente, praestat; et fibrosa licet carne, ori tamen ingesta glaciei vel aquae instar diffuit, Nectaris Ambrosiaeque fundens delicias.

Sequitur foliorum discrimen: haec quippe ratione co-
loris vel glauca inque margine serrata, in Ananas praecoci;
vel subrubentia, in Ananas fructu conico minore carne
aurea; vel coloris viridis lucidioris, vulgo *Seladon-Grün*/
quibus maculae obscure viridescentes inspersae, marmoris
instar variegati, marginsque foliorum linea rufescente quasi
cinctae, in Ananas Indiae vulgo Orientalis habita.

Ratione figurae folia alia lata, alia angusta, alia in gla-
dii speciem mucronata, obtusiora alia: sunt quoque rigi-
da alia et supra fructum in fastigium excrescentia, demis-
fiora iterum alia. Imo novam heic Lectoris oculis *Fig. V.*
delineatam Ananasae speciem sistimus, ex instructissimo
Generosiss. Dn. Baronis de Munchhausen Horto Cl. Dn.
Joh. Christ. Volkamero missam, cuius folia ab omnibus
hactenus recensitis figura, ceu intuentibus apparebit, discre-
pant.

Aculeorum quoque situ, frequentia, colore et absentia
differunt. Verae Ananasae folia pene omnia sunt aculea-
ta, ambitusque eorum ferratus magis minusve, instar den-
tium lucii piscis. Aculeorum alii incurvi, alii erecti, Da-
tur

tur etiam foliis spinosissimis Ananasa Americana , sed sylvestris flore purpurascente, fructu albo lanuginoso , pugni magnitudine, *Tekus Americanis* dicta, hujus quippe folia

*spinis horrentia acutis,
respiciunt aliis haec sursum aliisque deorsum,
hispida tota suis hamis spinisque recurvis
horret.*

Discernuntur et Aculeorum in foliis colore ; vel enim sunt albantes, sicuti in Ananasa fructu ovato carne albita , vel purpurascentes, in Ananasa carne aurea, foliis obscure rubentibus. Sunt quoque, quae spinis nullis munitae; et quidem Sinensis vulgo dicta Ananasa foliis angustioribus , rigidioribus arrectis , subrubentibus , non ferratis, marginibus aculeis spinisque plane destitutis. Hessec in Horticulturae Libro, vernacula Lingua conscripto , fingit et pingit Ananasam Sinensem ; sed in ejus forte cerebro prognatam ; quippe ejus descriptionem, quam dedit, si figurae tantum delineatae comparaveris, refutationem ulterius non requires. Id tamen certum est quam quod certissimum, quod talem Sinensem nec Agynensis Brabantiae, nec Rysvicensis Hollandiae, unquam nutriverit, nec alibi fortasse talem quis inveniet. Proin, mi Hesse,

- Μαρπὶ γε δεῖ τε καὶ σοφὲς λόγις,
Οὐτῷ με πείσεις.

Distingui quoque poterunt Ananasae foliaceo apice et corona. Verae hac nunquam destituuntur; at sylvestres pene

pene omnes illis carent. Ad posteriores omnino referendae Kaidae species, imprimis *Peni-Kaida-Taddi* Hort. Malab. T. II. Fig. 7. et *Kaida Tsjerria* Fig. 8. cuius fructum haud dissimilem fructibus Tsiakae pronuntiat Auctor Illustriss. Florae Malabaricae. Subsoluit hoc ~~botanometatw~~ Commelino, qui in Not. eruditissimis ad *Kaidas* annexit: *Quod ad Kaidas attinet, folia Aloës Americanae non sunt absimilia, fructus vero fructibus Pinus.* Quid convenientius Ananasis. Nec viribus multum differunt, quas huic aeterno operi Cl. ten Rhyne addidit; sic enim ille in Carmine Tom. II. Horto Malab. praefixo canit:

*Queis ego (laus absit) subjeci plurima, Vires
omnes adjunxi, queis Medicina cluet.*

Kaidae ad reliquas notharum sive sylvestrium Ananasarum species viam nobis sternunt; et quidem ad *Nanam bravam* sive sylvestrem Acostae, a Clusio notis illustratam, et a Cl. Muntingio in opere Botanico aeri incisam. Radix hujus Ananasae nostrae, crassa, ad latera fibras spargens, coloris bruni pallidioris, succi turgida, e qua folia laete virentia, arcte cohaerentia, haud adeo crassa, aloëticis similia, illis vero, quae in Ananasis veris repertu dantur, longiora latioraque, propullulant, eodem tamen modo in ambitu mollibus spinis crenata, spinosisque cuspidibus instructa. Ex his foliis prodit Truncus hastae magnitudinis secundum Clusium, vel secundum Muntingium altitudinis XXII. vel XXIV. pedum, laevis, admodum rotundus, intus succi plenus, mali aurei e Clusii, vel cerasi

arboris, e Muntingii mente, crassitiei. Singulae arbores secundum radices summa tellure, magnam foliorum comam fundunt, majorum quam quae in arbore sunt. Rami foliorum simul glomeratorum capita proferunt, flarentium admodum et tenerorum, suavissimi odoris, quae nihil aliud sunt quam flos ipse; ex horum singulis spica prodit, Arundinis spicae non absimilis, sed crassior, compactior et elegantior, odore Cedri in terram decidua. E ramis petiolo longiori dependent fructus Ananasae sylvestris, qui cum veris et hortensibus nonnullam habent similitudinem, Melonis magnitudine, figurae elliptico-sphaeroideae, coloris rubri elegantis, vel secundum Muntingium rubeo-flavescentis, oculos oblectantis, integri in partes divis, quemadmodum cupressini strobili, seu nuces exsiccate, sed tuberculis foris obsiti, ut procul spectantibus magni pini strobili apparent. Fructus (quem pauci degustant,) sapore utcunque suavi praeditus est, adstrictio-
nis tamen austerae et palato parum gratae particeps. Haec sylvestris Ananasa adnatis se propagat, aliaeque stirpes ex aliis enascuntur, praesertim in sepibus et hortorum ambitu, quos egregie munit.

Succedat huic sylvestri Ananasae, *Nana brava Margravii* et Pisonis. Quid vocula *brava* denotet, cum ejus nomenclaturam jam in Parreira brava a nobis descripta de-
derimus, repetere nolumus; eadem nempe est ac sylve-
stris, et a Pisone in carduorum familiam, qui nunc humi,
nunc altis arboribus supernascuntur, refertur. Ejus fru-
ctus est insignis magnitudinis, ovalis, ad citrulli accedens,

com-

compositus e quadrangularibus cylindris in extremitate quadrate pyramidalibus, per maturitatem flavescentibus, qui ab invicem separari possunt. Cavi hi sunt instar ossis in capite vitulorum, quod *Den Mit-Zahn* (verius *Milch-Zahn*) vocamus; continent granula ovalia innumera pallide flavescentia, papaveris majoris semine majora, suavia et dulcissimo rore imbuta instar mellis. Quodlibet corpus cylindricum separatum exprimitur digitis in os, ac granula illa rore melleo imbuta absorbentur gratissimi saporis. Fructus etiam transversim discinditur in taleas. Haec Marggravius, et ex illo ipsissimis verbis Piso in Edit. Secund. Hist. Brasil. Anno 1658. edita, qui addit; plura qui volet de hac sylvestri Ananas sive Nana brava, adeat Bellonium cap. 40. sed apud hunc altum de ea silentium.

Nanis bravis in catalogo Plantarum Americanarum, novis Plantarum generibus annexo, R. P. Plumier accentet Ananasam non aculeatam, *Pita* dictam, id quod a Cl. Tournefortio quoque in Instit. Botanicis in partes vocante Plumerium, factum. Cum autem plures Pitarum species dentur, Aloëticis accensendae Plantis, foliis in filamenta resolubilibus, byssumque saepius aemulantibus, e quibus fibris tenuioribus Ananasae frequens incola, avicularum pulcherrima, (de qua mox pluribus) *Colybri* dicta, exteriora nidi compingit; quae proprie harum Pitarum Ananasae nomen obtineat, non liquet. Si conjecturae locus, credemus esse illam, cuius meminit in Antillarum Historia naturali R. P. du Tertre p. 105. *une des deux Pites, qui n'a point des petit picquans aux feuilles comme l'Ananas;* quae

species forte erit *Pati* sive *Metl* lenissimum Hernandez,
vel *Pati* ou *Mangueis* lenissimo Ximenes; sive *Aloë* Amer-
icana foliis angustioribus ac minoribus seu tenuioribus
absque spinis Morisonii, quam sub nomine *Aloës* purpu-
reæ levis in *Aloëdario* Icone expressit, fusiusque descripta
Cl. Muntingius p. 15. Ejusdem accuratam omnino descri-
ptionem debemus lepidissimo Anglorum Poëtae, Abraha-
mo Coulejo; quam e Poematum Latinorum seu Planta-
rum L. V. p. 302. hic integrum exhibuisse ac legisse, non
grave erit Lectori Benevolo. Ita autem de *Metla* canit:

*Omnia si Dominus Cacais edit, omnia pene
possidet in Metla, nec se facit illa monetam.*

Nec Mercaturam exercet: merx omnis in ipsa est.

*Nec pueris fert illa Nuces, nec dulcia Poma
foemineo parit oblectamina vana palato:*

*Tota arbor suus est Fructus; folium omne tenellum
manditur, et victum in promtu dat sua ve salutrem;
quod simul ac vires aetate acquirit adulta,
texitur in vestes; ne ve instrumenta deessent
artifici, summo stat Spina cacumine frondis,
et fit Acus sartori, acus et sua fila cohaerent.*

Vritur immodico vicini lumine solis.

*terra siti damnata, hic virvus cortice scisso
fons liquidae prorumpit aquae, quae leniter arctis
percolata viis, longo Maeandria flexu
fibrarum, nulloque tamen vitiata colore,
jucundum virgo trahit intemerata saporem.*

Hoc satis est Hominum naturae, sed tibi non est,
 prodiga Metla, satis. Quaeruntur dulcia? Mellis
 instar habes; acris delectat gustus? Acetum es.
 Parva loquor, Vinum es, generoso pectora succo
 laetificas, quacunque ruis, curamque metumque
 pauperiemque gravem pellens, velut aurifer amnis,
 influis in venas; per te miscrabilis Indus
 dives adhuc, liberque sibi, dominusque videtur,
 et Rege Hispano est aliquando beatior ipso.
 Si dubitat quisquam, nec possit credere Vinum,
 quam modo vidit Aquam, pleno se proluat haustu:
 (Nam quis aquae parcat?) factam de simplice Nympha
 sentiet esse deam, et vim numinis ipse probabit.
 Delicias fundens tales, Medicamina sudat.
 Cortice distillant unguenta potentia cocto,
 et pretium est lacrymis, quantum non ulla mereri
 gemma potest, oculo pulcrae nec blanda puellae
 gutta tremens, cum se pavitantem dedit amanti:
 Non illis rabidi praesentior ulla veneni
 Antidotus, medicant medicatae cuspidis ictum,
 et gemina exarmant armatas morte sagittas.

Ananasae quoque sylvestris nomine nota Kerbita di-
 cta Cl. Hermanno Prodr. Parad. Batav. quae Caraguatae
 species est, quarum plures e Ximene recenset Laët. Not.
 in Marggrav. Vocatur alio nomine Karata et Karouta,
 detorto forte a Karaguata nomine. Piso mentionem in-
 jicit speciei, quae saxis horridis et montibus adhaerere

conspicitur; fructu fatuo quidem, sed purpurei coloris insigni, quem *Ananasam sylvestrem* quis dixerit, semine numero turgentem, foliis vere crassis denticulatis, amplis, et instar dipsaci incurvatis; quae aliquando medium sextarium plus minusve aquae limpidissimae continent, maximo eorum solatio, qui per loca deserta, nullisque fontibus irrigua iter facientes ad hasce Plantas confugiunt, et sitim restinguunt. Sicut Pisoni haec scribenti non semel contigit, cum indigenis mediterranea loca perlustranti. Videturque hujus esse species *Ananasa Americana sylvestris* altera minor *Jamaicae et Barbados Insulae*, colonis ibi degentibus *Pinguin* dicta, de qua Excell. Plukenet Phytogr. T. 258. f. 4.

Vocatur quoque *Anana chicariri*, Palmae quaedam species apud Marggravium Hist. Plant. cap. 3. p. 16. Pisoni de Facultat. Medicam. simpl. Libr. IV. cap. 10. p. 62. vocatur *Ana checariri*. Estque haec secundum Exc. Rajum Hist. Plant. p. 1318. Palma Brasiliensis prunifera folio plicatili seu flabelliformi, caudice squamato. Plura de hac *Anana chicariri* suppeterent, ni invida fors opus de Palmarum speciebus, ab Augerio Clutio in tractatu de Cocco Maldivensi et Hemerobio promissum, nobis quod dolendum surripisset. Praecipuis certe Historiae naturalis Scriptoribus et Botanicis anumerandus hic Auctor, qui jactis sub Patre Theodoro Clutio, Horti Medici Lugd. Batav. Praefecto, in re herbaria fundamentis Gallias percurrentes in Montpelensi tandem Academia a Cl. viro, Richerio de Bellaval, duabus pene annis vicarius Botanici adoptatus est. Hinc Horti

Horti Regii Medici Monspeliensis gratia in Africæ interiora penetrans, ut quicquid ibi novum aut minus visum naturae beneficio, pro soli et caeli diversitate natum, in Europam redux referret; sed obstatit bonis his conatibus fors inimica: ter quippe captivus investigationis laudandæ poenas luere coactus est. Regis equidem Mauritaniae diplomaticate ter in libertatem restitutus, excussum tamen omnibus iis, quae simplicium tessellas floridiores reddere poterant. Belgio tandem Patriæ redditus, praeter jam citatas de Cocco Maldivensi sive Nuce medica, et Ephemero sive Hemerobio dissertationes, Thesaurum Exoticorum meditabatur, in quo ex Indiae orientalis occidentalisque armario melioris selectus simplicia consarcinarat, Cl. Bontii Plantarum Indicarum orientalium descriptiones ulterius illustraturus et ditaturus. Habebat et sub manibus Tractatum de Palmarum speciebus: quae omnia in spongiam forte incubuere. Haec occasione Ananae Chicariri de Augerio Clutio, dicta funto, qui minime cum Clusio confundendus, quod a Viro caeteroquin eruditissimo nuperrime factum memini.

Anona quoque Oviedi inter Ananasas relata a Cl. Ammanno in Horto Bosiano: sed cum hoc de errore alibi jam dictum, hic non ulterius immoror.

Nana quoque *Pacoba* vocatur a Morisoto Bananas sive Musa: sed haec, uti supra jam innuimus, toto caelo a nostra Ananasa differt.

C A P V T III.

Radicis externae consideratio. Major primus Anatomen Plantarum tentavit. Radicis partes internae: Vtriculi, fibrae, tracheae. Caulis exterior. Ejus interiora Cinarae congruunt. Cinarae descriptio e Malpighio. Folia pro specierum varietate variant. Describuntur ex Horto Malabarico. Foliorum ordo, aculei, figura, color, gemma, quae Plantae mater. Structura interior, eadem quae in aliis crassioribus e Malpighio descriptis. Fructus. Ejus capitulum Strobiliforme. Apex foliaceus omnes Plantae partes continet, ut et surculi laterales. Flores cui Classi inferrendi? Florum color, stamina, stilos. Seminum receptaculum, forma. Circa hanc Hessi error. Illorum valvulae. Ananasæ in Insula Bourbonia et Horto Volkameriano semine destituuntur. Fructuum Caro, corculum. Fructus transversim dissectus de- tegit plexus reticulares, tracheas, globulos, utriculos.



Lantam ipsam, quoad omnes rimari partes, acutiusque inspicere, animus est. Firmatur igitur *radice* carnosiori crassiuscula, quae non quidem leviter in summo terrae haeret, et super illam fibras nudat, sed deorsum descendit, multisque apricatur fibramentis; ceu ex icone apud Nard. Ant. Recch. Histor. nov. Hisp. Libr. VIII. c. 78. patet. Non nimis quidem longa est, coloris, secundum Exc. Muntingium, bruni pallidioris, (*bleekbruyn verbig*) undiquaque tamen longas, capillatas nonnihil nodulatas spargit fibrillas, ut Illustr. Horti Malabar. Auctori placuit Tom. XI. Cardui edulis radici per quam similem pronuntiat Acoft. Arom. Libr. c. 44.

Ad internam structuram quod attinet, partibus continentibus, quae vasa sunt, et contentis sive succis, eas non desti-

destitui, nullus dubitabit, cui Malpighiana et Grevviana
in eruenda Plantarum Anatome, stupenda diligentia, im-
probusque labor notus. Quamvis, ut verum fateamur,
neque in Patriam nostram nosmet ipsi simus injurii, in-
ventionis gloria, non Anglis solum, non Italis, sed Ger-
manis nostris, et quidem maximo *MAIORI*, Kilionensium
quondam Podalirio, sit tribuenda, ceu ex ejus Planta mon-
strosa Gottörpiensi omnibus clarum.

Gaudet itaque Ananasae radix, vesiculis utriculisque,
ceu parenchymate, plerumque sphaericis, oblongioribus
interdum, in se mutuo hiantibus, magnitudine tamen
differentibus, liquore limpido, nonnunquam vapore ro-
reque turgidis, qui per membranarum, ex quibus utri-
culi constant, poros se insinuant, cum patentior janua, qua
intrent, non detur, licet Excell. Malpighius, utriculos in
se mutuo hiantes et pervios faciat. Praeter utriculos fibrae,
siue vasa succifera, radicis ingrediuntur compositionem,
lympham seu succum specificum Plantae deferentia, cui
fistulae aëri excipiendo et derivando destinatae, tracheæ
nempe Malpighianæ, accedunt, quae omnia cum adeo
parva sint, ut sine microscopio aegre conspiciantur, ocu-
losque nudos, non tamen acumen mentis ingeniique fu-
giant, ab ulteriori examine desisto, quae in sensum incur-
runt, in Horti Malabarici stupendo opere reperiunda, an-
nectens. Media nempe pars obtortae radicis formam ob-
tinet, primæ radiciformes scaturigines externe trunci la-
mellæ inseruntur, foliaque inferiora perforant, et quidem
illic loci, ubi folia decidua aliquantulum putrefacta maxi-

me conspicua, foliis vero vegeto virore expansis, evanescunt; laterales radiculae triplicem nobis ostendunt phasin; prima subfuscata est et filamentosa, altera lignea albicans muscosa, tertia sive medullaris nervea, praedura et admodum firma.

Succedit radici pars proxima *caulis*, inter folia e radice exsurgens; nec enim quoad medium partem sub terra vegetat, quod nonnullis visum, teste et refutante hoc Bosmann. Voyage de Guinee Lettr. 16. p. 316. Numero is est unicus, rotundus, rectus, sine stolonibus, duobus tribusve tamen foliolis secundum Excell. Comelinum in Hort. Amsterod. obsitus. Ipse caudex est tripedalis, si fructum annumeres, pro climatis tamen ratione varians, crassiolus pollicis ferme latitudinis, viridi nitente glabro cortice obductus, qui semiannulatis geniculis interdistinguitur. Quoad interiora, nec utriculis, vasisque lymphaticis, nec tracheis, aequa ac radix, destituitur, humorque in vasis contentus subdulcescens pronuntiatur Ill. Hort. Malab. Collectorì. Cumque ad Cinaram nonnullis accedere videatur haec planta, imprimis quoad internam lignosam substantiam, teste Dn. de Loubere dans le Voyag. de Siam, nil impedit, quin credam, caulem quoque, quoad structuram internam cinarae congruere, quam indefessa Malpighii cura sequentibus delineavit: Varii, inquit, fibrarum fasciculi in cinarae **caule** compaginantur. Interdum triplex fistularum lignearum collectio A geminos trachearum ordines B. intercipit et ambit, quandoque gemini trachearum fasciculi A. unicum fibrarum acervum B. amplexantur et urgent.

Circa Folia discrepant Auctores, cum et Ananasae species varient, quod pluribus a nobis jam demonstratum. Sic Thevetus junci foliis latis, Clusius Aizoi aquatilis foliis, Oviedus cardui generi aspero et spinoso, Neuhofius vel sempervivi vel Aloës foliis eadem similia pronuntiant, consentientibus duumviris Historiae Brasiliensis solertissimis, Marggravio Histor. Plantar. Libr. I. cap. 16. p. 33. et Pisone Hist. natur. et Medic. Brasil. Libr. 4. p. 195. Edit. secund. A. 1658. In prima enim Anno 1648. omissa sunt.

Secundum delineationem in Horto Malabarico conspiciendam, qua nemo aliis meliorem dabit, folia ex semi-annulatis erumpunt geniculis alterno ordine, illorum bina totam trunci peripheriam arctissimis amplectuntur vinculis, inferiori parti confertim, superiori laxius trunco adnectuntur; oblonga sunt, supra fructus in fastigium excrescentia, sinuosa, sensim in cuspidem aculeatum stricta; vel, ut Piso loquitur, in gladii speciem mucronata, interiori parte concava, fibris in utraque superficie laxioribus et fungosis pertexta, regularique nexu procedentibus, quarum interiores caeteris maiores, crassiores ac valde durae; ubi radiculas ejaculantur obliquo, secus recto ductu procedentes, candicantes: Interior sinus subviridescit, illius latera ad unius circiter digiti crassitatem fusco virore nitent.

In laciniis *aculei*, congruo et quasi artefacto ordine infiguntur, instar dentium lucii piscis, ut Marggravius l. c. loqui amat. Vnumquodque folium in duas dispescitur laminas, cuius convexa pars rarioris, concava autem densioris structuræ est; folium ordine sextum, per universum

hunc truncam, aliud recta e diametro oppositum habet, adeo ut totus truncus Hexagonus, ob circularem et cochleatam foliorum compaginem, dici queat; semilunares foliorum unguis concinna insertione trunco firmiter adhaerescunt, superiori vero membranula, reliquae foliorum substantiae, viridescentibus fibrillis agglutinantur.

In oris folia haec muniuntur spiculis, ceu aculeis densis, rigidis, acutis ac incidentibus, versus cuspidem parumper incurvis, non tamen aduncis; inferior pars circa caulem ad duos tresve pollices sine aculeis est; textura illorum rigida, crassa, densa, spissa, venulis parallelis, ex unguiculis ad cuspidem, quae durior paulo et rigidior striata; quae ad inferiorem caulis partem prodeunt, oblongiora sunt, in vetustiori planta ex viridi subflavescunt, ad oras ex flavo rufescunt, ut et in spiculis aculeatis, in parte superiore, extra oras rubescunt, colore saturo rosaceo, in parte nempe ima ac interiori; in exteriori incarnate rubescunt, in superiori flavescent, vel, secundum Neuhofium, aurantii sunt coloris; circa latera subincana pubescunt lanugine, farinaceo ac albicante rore consperfa.

Superiora una cum inferioribus ejusdem sunt figurae, circa caulis cacumen interius in una parte sanguineo-saturo ac vivido nitente rubore suffusa, albanticibus punctis interspersa, rosam tulipamve marmoream diceres, versus cuspidem fusco et nitente virore, vel etiam sanguineo, si tenebriora sunt, in exteriori latere colore vivo incarnato, superne viridescentia, vel ejusdem incarnati coloris, farinacea quoque nive, qua color ille incarnatus, ceu viror in fo-

Illiis obfuscatur, conspersa; nive hac remota, ipse foliorum color plenius sese conspectui offert. Singulorum foliorum apices praeduris aculeis mucronantur: unumquodque folium gemmam continet, quae licet per exigua, integrum tamen plantam perfectissime in se comprehendit, pedunculo trunci circuitui, exteriori nempe ejus lamellae, insertam. Hoc tamen notandum, folia pro varietate specierum Ananasae, coloribus, aculeis, spinarumque situ differre.

Si interior structura ad microscopii normam exigitur, crederem, eam non aliter se habere in Ananasae foliis, ac in aliis crassioribus, utriculorum maxima copia feracibus, de quibus sequentia ad majorem illustrationem immortalis gloriae Malpighius prouidit: Lacerata cuticula, dum sensim costulæ evelluntur, appensæ utriculorum series reticulariter implicitæ reperiuntur, quibus tota folii latitudo et crassities excitatur. Sunt autem utriculi ovalis figuræ, et inaequalis etiam, invicem contigui, tunicaque in modum vesicae laxata componuntur, quae ligneam fibram et tracheam secundum longitudinem ad centrum excurrentem, amplexatur ipsique haeret; unde laceratione utriculi frequenter manifestantur.

Sequitur nunc *fructus*, in quo *flores* quoque proveniunt. Ex crescit in caule unicus, cacumini ejus insidens, veluti nodus, superioribus foliis inferne succinctus, Strobiliformis Pini Italici fructum referens, cinarae instar, foliis futurorum florum operculis eleganti specie constructis, atque in modum cochleæ (si nempe a laeva versus dextram foliorum ordines insequaris, alias rectius insurgunt,)

ipsum fructum obsequentibus, ita ut sextum in ordine, semper e diametro aliud oppositum habeat, ubi bina ad latera paria circumstant. Foliis hisce rhomboidaeis, cuspidatis, surrectis, rigidis, ad verticem sensim minoribus, etiam in oris, cuspidibus seu aculeis parvis ac rigidis munitis, venis in longum, versus cuspidem striatis, anterius sanguinei ac nitentis coloris, ut et exterius, ubi albicante farina obfuscatur, in unguiculis viridescentibus.

E vertice Strobiliforme oblongum capitulum, vel pulchram potius rosam foliaceam emitte; in germinationis exordio, perinde ut caetera fructus folia, rubram, atque in accretione viridescentem, sed ubi lanuginosa tunica obvelatur, purpuream; in sui principio arcte, congruo tamen ordine compactam, sensimque magis expansam, in apice splendide virentem. Integer fructus pyramidalibus conflatur capsulis, ab interiore caule ad extimum corticem decurrentibus.

Foliaceus apex, qui fructui insidet, nonnunquam simplex, alias multifidus, radicum, facile hic separabilium, ac lateralium surculorum primordia in se continet, quae radix non minus ac stylus, fructus medietatem permeans, partibus continentibus, vasculis puta succiferis, et tracheis sive aëriferis, idemque et contentis sive succis specificis, gaudet, ut non mirum, ipsum verticem easdem, quae in tota planta sunt, partes includere; idem etiam, si obtutum acuas, in lateralibus plantae surculis, propagationi sicuti foliaceus apex destinatis, videre est.

Ad Flores tandem devolvimur, qui in fructus vertice

e fo-

e foliaceis tuberculis in Europa nostra, Commelino teste, Mense Majo vel ineunte Junio prodeunt, e vertice oculorum ceu gemmularum exslientes, quae per totum, cortice excepto, ad verticem fructus, ubi foliis densioribus vestitur, ad ipsorum foliorum unguiculos extuberant; suntque florum conceptacula, quarum pedunculi florum calices, in fundo rotundi primitus clausi, postea transgressum floribus concedentes, deciduisque floribus semet constringentes concrecentesque evadunt. Gemmulae de caetero follicosae sunt, et nonnihil ad latera compressae, conformatae ex tribus rotundiolis, crassis, rigidiusculis arcteque convolutis foliolis, quae ad se invicem sunt constricta, coloris exteriorius sanguinei et nitentis, albicante farina, quae ruborem obfuscatur, conspersae, intus virides et aqueae. Flores ex hisce gemmulis follicosis exilientes tripetali sunt, oblongi, ad verticem rotunde cuspidati, superiori parte stricti, inferiori convoluti, ubi arcto orificio, a gemma follicosa, cuius fundo sunt inserti, tanquam a suo calice arripiuntur. Hinc factum reor, ut ab incomparabili Christianissimi Monarchae quondam Archibotanico Tournefortio, e mente quidem Rev. P. Plumerii floribus monopetalis, veluti infundibiformibus tripartitis fuerit annumeratus, reclamantibus licet Illustr. Sloane in Catal. Plant. Insul. Jamaic. et Comelino in Hort. Amsterod. qui tripetalorum Classi asseverare.

Colorem florum quod concernit, ad verticem sunt caeruleo saturi, inferne albicantis, petalis marcescentibus e rubro fuscescunt. Acu certe nil fingi, nil pingi potest peni-

penicillo nobilis admirabili flosculorum horum coicin-
nitate, caelestem Thavmantiam seu Iridis arcum, si radii
solares rore adhuc madentes colluscent, oculis exhibente,
teste autopta Rochefortio:

*Sicut enim variis ad-verso sole colores
hic trahit, et visu pulcherrimus aëra sulcat:*

sic quoque vestitur variorum flore colorum

Ananas, ac gremio late explicat alma virenti

purpureo, macula radiantem versicolore.

Stamina flosculis insunt sex, flavis, surrectis et oblongis
dotata apicibus, quorum tria foliorum interstitiis, reliqua
supra incisis e lateribus infiguntur foliis, ac fundo gemmae
follicatae se inferunt. *Stylus* in illis eminet unicus, can-
didus, superne bifidus, trifido apiculo, cuius quodlibet inter-
stitium bisecatur, et crispatur instar lilii. Flores e gemmis
cuspide acuta purpurea prominent, quorum qui in inferio-
ribus gemmulis sunt concepti, citiores exiliunt, qui in su-
perioribus tardiores, etiam in ipso vigore angustis osculis
hiantes.

E regione staminum, quaenon ipsis floribus, sed florum
interstitiis inferuntur, sepulta jacent *semina*, in quovis no-
dulato tuberculo, floris retinaculo, terna singularibus can-
cellis, triangulari forma, qui trigona quoque infarcitur ac
distinguitur membranula, seclusa, ubi affabre factis, ner-
veisque catenulis rotundiusculis colligantur corollis, qua-
rum simbriae eleganti rotundarum gemmularum cingulo
obvestiuntur, binos inter colliculos, sicuti pinealis glan-
dula inter cerebri nates, recumbentibus. *Quoad semina*

. ipsa,

ipsa, parva sunt, plana, pyriformia. Cl. Tournefortius e Plumerii mente reniformia pronuntiat, calyptra sive involucro tenui, Gallice *Coiffe* dicto, obvoluta. Liquet hinc, quomodo Hessus in Horticultura sua, uti in plurimis, sic quoque circa Ananasae semina ineptiat, cum citri seminibus sive granis assimilet. Vbi praecocia, alblicant, maturescientia apicibus fuscis dotantur, plusquam matura, castaneas fuscedine aemulantur, atque in valvulis seu cavernulis, quae intra carnem, proxime ad corticem, vel gemmulas floriferas consitae sunt, reperiuntur, rarius in una capsula bina. Ipsae *valvulae* oblongae sunt, in longitudine versus medium stylum fructus, utpote corculum, directae, atque in illa parte, quae magis ad stylum accedit, strictiores ac veluti membrana nitente candida obductae, et plures ad singulas gemmas follicatas, existantes. Semina haec sive Granula Ananasis in Insula Bourbonia sive Mascareigne abjudicat Dellen dans la Relat. des Ind. oriental. c. 3. Et certe in illis, quae amicissimi Volkameri nostri Hortus producit, uti saepius mihi retulit, defuere, id quod in malis quoque aurantiis citriisque in climate nostro prognatis, saepius fieri afolet.

Putamine hactenus fracto, nucleus pulpamque fructus maturi tandem inspiciamus. Caro ex albicante (pro varietate tamen fructus,) flavescit, succulenta, saporis præ caeteris fructibus gratissimi, acido dulcis et vinosi. In Fructus meditullio stylus seu corculum est oblongum, rotundum, duriusculum, ex albo flavescens, carne subdura, quae lignosis intus est pertexta fibris, teste Flora Malabarica.

Crederem, stylum hunc per fructus longitudinem ad coronam foliaceam usque pertingentem, nil aliud quam caudicis caulisque prolongationem e variis fibrarum fasciculis compaginatam, ubi mox triplex fistularum lignearum collectio, geminos trachearum ordines intercipit et ambit, mox gemini trachearum fasciculi unicum fibrarum acervum amplexantur et urgent, ceu superius innuimus. Qua autem ratione stylus hic sive corculum ad pinnam sive fastigium foliaceum fructus pertingat, e figura Turnefortiana, ubi fructus per longitudinem disiectus exhibetur, patescit.

In fructu transversim inciso Lectorisque oculis exhibito, oblongae et radiosae striae apparent, e corculo sive stylo medio seu meditullio fructus egredientes, et ad corticem excurrentes, quarum caro magis succulenta et flavescentia; continet enim pulpa Ananasae fibrarum reticulares plexus, una cum contentis tracheis; et globulis sive nodis, acido dulcem sive vinorum succum continentibus, firmatur; areae vero utriculis lympham asservantibus perbellè replentur, atque hi in meditullium hiant, veluti in corde accidit, carneis lacertis et fibris valvulas inibi firmantibus.

Plures de Plantarum Charactere solliciti. Difficultas ab Anomalis. Plumper illam temperare instituit. De Ananas nihil determinat. Quidam ad Cinaras referunt. Harum Character e Columella et Hermanno. Alii ad Carduos. Kircherus notatus. Alii ad Aizoa, ad Melones, Brassicam. Nonnulli Nuci Pineae similem volunt. Nonnemo Palmae speciem facit, male. Strobilus Indicus. Cur ab Hispanis *Pinas* vocetur? Rajus anomalis vel pomiferis infert.

infert. Pinea nux inter Poma. Poma Fructus omnes ~~diversitas~~. Male a Paulo ICto excluduntur. Nux est Mollusca. Sloane herbis flore tripetalo, Turnefortius flore monepetalo annumerant. Volkamerus inter baccifera. Ejus methodus Plantarum.

Nter felicissima seculi nostri Inventa hoc quoque arti nostrae accessit, ut post primos et imbecilles adhuc conatus Caesalpini, Columnae, Gesneri, Zaluzanii a Zaluzaniis, Bauhinorum aliorumque, de vera Plantarum methodo, principes Botanici studii viri, Jungius, Morisonius, Rajus, Hermannus, Rivenus, Tournefortius, de plantarum certo characterismo, cogitare serius cooperint. Hoc a floribus et seminibus, cum perianthiis et capsulis, vel solis, vel junctis de sumpto, innumerum tandem plantarum numerum certis classibus, ordine et ex artis lege digestis, inserere, et quas exterae regiones primum visui nostro offerunt, discernere statim certoque quasi Lari assignare docuerunt; ut hoc ipso carnificina illa memoriae, qua nuda olim plantis imposita nomina in futuram oblivionem mandanda fuere, liberatis simus. Licet vero tanta ipsis debeamus; harum tamen methodorum nulla tam infallibilis, tam congrua adhuc existit, ad quam, ad regulam quasi Lesbiam, cunctae cognitae regularesque plantae examinari, nedum irregulares illae, singulares et anomalae cogi possent, tanquam exceptio-nes a regulis generalibus, ad libertatis scilicet naturae, nullis legibus obnoxiae, ostentationem, ut Excell. Raji verba mutuemur. Addit vir immortalis gloriae, Hist. Plant. T. I. *Si natura rei id pateretur, humanam tamen hoc non admittere*

conditionem. Cum enim Plantarum numerus ingens existat, in his aetatis angustiis, memoriae imbecillitate, intellectus inadvertentia et caligine; quis adeo universalem specierum omnium notitiam, adeoque claram et distinctam singularum, se unquam assequi posse speret, ut tali operi sufficeret. Quis adeo circumspectus esse potest, ut ad omnes omnium convenientias et differentias attendat, easque sub uno quasi intuitu comprehendat; quod tamen ad eas inter se conferendas necessarium est.

His defectibus supplendis, cum praecipue tot incompta adhuc nobis Europaeis plantarum Americanarum genera cerneret Rev. P. Carolus Plumier, (quem jam alibi laudavimus,) ordinis Minimorum in Provincia Franciae, et apud Insulas Americanas Regius Botanicus, tribus peregrinationibus ab Anno 1689. ad Annum 1697. Americanas regiones perlustrans, cunctarum Plantarum, cunctorumque Animantium Catalogum descriptis, delineavitque. Haec dum agit, nova simul Plantarum Americanarum genera cum orbe communicat erudito, plantasque incertas certis generibus insignit, quando characterem generis e florum et fructuum constitutione, ac nomenclatura, partim ex Indicorum Botanicorum libris, partim e celebriorum Botanicorum aut Botanophilorum nominibus desumit.

Non equidem comparet Ananas nostra inter nova Plantarum Americanarum genera Parif. 1703. in 4to edita; in Catalogo tamen Plantarum Americanarum, huic opusculo annexo, Ananasae species recensentur, cum Excellensiss. Tournefortius in Instit. Botanic. jam plantas nonnullas, a Plumerio secum communicatas et depictas, quas inter

Ananas, in Appendice ad novum Plantae genus revocaverit quidem, nil certi tamen determinaverit.

Quod si viri ad studium hoc perficiendum penitus nati hic caecutiant, quid mirum, ad diversa Plantarum genera a diversis priorum temporum Botanicis Ananasas fuisse relatias?

Et illi quidem, qui ex Historiae naturalis scriptoribus primitus Ananasae fructum inspexerunt,

atque caput cinarae compar, sed acutius atque pulchrius;

Cinaram Indicam pronuntiarunt, sed pungentibus destituta tam aculeis, quod inter plures alios Oviedo, Acostae et tandem Bontio aliisque placuit; Coluinellam, qui graphice Cinaram descripsit, in hypotheseos patrocinium allegant, Libr. X. canentem :

*Hispida ponatur Cinara, quae dulcis faccho
Potanti veniat, nec Phoebo grata canenti.*

*Haec modo purpureo surgit glomerata corymbo,
Myrteolo modo crine viret, deflexaque collo;*

*Nunc adaperta manet, nunc pinea vertice pungit,
Nunc similis calatho, spinisque minantibus horret;*

Pallida nonnunquam tortos imitatur acanthos.

Apte haec omnia in Cinaras, hodie *Artichaut*, dictas, quadrant; in Ananasas minime: nam licet Cinarae caput conum pineum aemuletur, in reliquis tamen tantum distant, quantum aera lupinis, cum inter plantas angiospermas capitatas, pappescentes floribus fistulosis referantur a

Celeb. Leidensium quondam Botanico Hermanno Cinarie, quae notae ad Ananasas minime trahendae.

Oviedus et post illum Casp. Bauhinus in Pinace, aliquique Carduum Americanum foliis Aloës vocarunt. Hinc et Ambrosinus Phytograph. P. I. T. I. p. 2. *Aberam*, fructum exoticum Brasiliensem, (quo Ananasam nomine intelligit,) cardui speciem pronuntiat; quod a Joh. Bauhino in opere Botanico, ejusque Epitomatore Chabraeo factum, qui ad capitatas spinosas sive carduos referunt. Etiam Rev. P. Kircherus Chin. illustr. p. 189. huic Carduorum classi inferrendam putat Ananasam; annexa tamen hac ridicula epocrisi, cui nemo unquam applaudit, experientiae quippe e directo contraria; hanc nempe cardui instar, quam cartejofoli vocant, pullulascem Plantam, in Europaeo climate tandem consitam, in carduum domesticum degeneraturam.

Lobelius Aizoi majoris ortu persimilem, Acostae autem doctissimus interpres in Notis, Aizoi aquatici facie exoticam plantam, esse asserunt. Hinc Bosmannus in Guineae descript. Gallicae Plantae *Joubarbe* dictae, (quo nomine et Sedum et Telephium intelligunt) assimilat. Neuhofius Meloni quoad fructum, alias Brassicae Cypriae, similem faciunt, quippe quae foliorum loco in caput conglomeratorum caulem in medio habet crassum, albidum, molle, palato gratissimum et florem referentem, unde Cauliflorae nomen.

Plurimi tamen, penes quos et regionis et fructuum prima inventionis laus, Nucis Pineae in Ananas similitudinem se

repe-

Unable to display this page

similitudine *Pinas* appellant, non ideo nominari, quod ejusmodi squamas lignosas habeat; sed quod ejus cortex simili modo distinctus videatur, tametsi non squamatim, sed Peponis modo cultello integer auferatur.

Recentiores Botanici, qui in Plantarum intimiori et accuratori scrutinio omnem posuerunt operam, cui generi apte accensenda *Nana*, dicere mussant. Excell. Rajus, Botanices totius fidissima Pharos, ad Anomalias Plantas refert, tandem ob convenientiam aliquam, Pomiferarum classi ingredit Libr. XXIII. sect. 3. cap. 6. p. 1332.

Scilicet et *Pinea nux* ad pomifera olim referebatur, quam disertim *Pomum* vocat Ἐπιγεωματοποιὸς Bilbilitanus:

*Poma sumus Cybeles, procul hinc discede, Viator,
Ne cadat in miserum nostra ruina caput.*

Id quod e Cascellii Jurisconsulti joco forte Poëtam haussisse credit Cl. Nonnus de re cib. Lib. I. c. 43. p. 140. de quo Macrobius Libr. II. Saturn. c. 6. *Cascellius Ictus urbanitatis mirae libertatisque habebatur. Praecipue tamen is jocus ejus innotuit. Lapidatus a populo Vatinius, cum gladiatorium munus ederet, obtinuerat, ut aediles edicerent, ne quis in arenam, nisi pomum misisse vellet. Forte iis diebus, Cascellius consultus a quodam, an Nux pinea pomum esset? respondit: si in Vatinium missurus es, Pomum est. Tanto enim odio Vatinium habuit populus Romanus, ut Vatinianum odium pro magno Catullus usurparit.*

Sed et extra hunc Cascellii jocum, inter *Poma nux* *pinea* relata. Sic enim Plinius, annotante maximo Salmasio,

masio, cum titulum cap. 9. Libr. XV. dedisset: *omnium pomorum genera et natura*: a nucibus pineis incipit, et ejusdem Libr. c. 22. ubi de nucibus, *solum hoc pomum natura compactili operimento clausit*. Imo, quod hic *ως εν παρόδῳ* notandum, Pomi appellatione omnes arborum fructus *σερδίτας* contineri, quorundam fuit opinio. Sic Hesychius: *Μῆλον παρπός ταῦτας σέρδησι*. Idem: *Μῆλον τὰς παρπός*. At vero Pomi appellatione Nuces non contineri putabat Paulus L. 205. de Verb. signif. *Qui fundum vendidit, Pomum recepit*. *Nuces et ficos et urvas duntaxat Duracinas et purpureas, et quae ejus generis essent, quas non vini causa haberemus, quas Graeci τρωξίμους appellarent, recepta videri*. Qua de re fusius Gallorum *πολυμαθέστατος* Menagius in Jur. Civil. Amoenit. cap. VIII. Quod si inter Nuces referenda Ananas, Mollusca nux erit, de qua Suevius in edulio, quod inscribitur Moretum:

Mollusca haec nux est, ne quis forte inscius erret.

Haec occasione pomiferarum, quarum classi ab Exc. Rajo inserta Ananas. Celeb. Hans Sloane Prodr. Histor. natur. Jamaic. Part. I. herbis flore tripetalō annumerat; diligentissimus Tournefortius tamen e Plumerii mente dissentit, florem monopetalon veluti infundibiliformem tripartitum tuberculis embryonis innascentem Ananasae tribuit.

Haec cum ita sint, et Artis nostrae Dictatores inque Botanico Studio Archidaduchi, quibus

*haud similes secula tulere viros,
dissideant, nullius certe sensum, cui proprie Ananasae classi*

accensenda, adstringere volumus, sed liberum in eo cuiusque judicium relinquimus.

In hac sententiarum dissidentia et divertio, cum Amicissimo Volkamero sermones miscens, ejusque in re tam ambigua, tam abstrusa, mentem explorans, hoc tandem responsi tuli: cum nova foret Planta, cognitis hactenus Plantarum ordinibus eam inseri commode non posse. Si quis tamen urgeat, *inter baccifera fructu composito referendam esse.*

Haec Vir ~~porosopitatus~~, de cuius laudibus nihil dicam, ne homini Amicoque conjunctissimo publice blandiri videar. Judicium haec in re provoco cuiusque in hoc studio docti, qui operis sub Tit. Florae Norimbergensis editi proscenia legit: annon illa intimae in hoc studiorum genere eruditionis gratiam spirent. Optant vero doctiores, ut porro Methodum Plantarum, omnium quotquot sunt certe absolutissimam, quae ultimam mox videbit manum, in plausum literarium emittere velit, cum immortali nominis fama, et gratissimae posteritatis magna admiratione, quippe

Solo hoc Sole vigeat Plantarum notio vera.

Cansarum primarum notitia difficilis. Naturalis Ananasae temperies.

Gustus sensum prae reliquis extollunt Caesalpinus et Schelhamerus. Dulces Ananasae particulae quales? Salinae quoque commixtæ ad acidum accedentes. Elasticae, sulphureæ. Saporis Ananasae diversitas. Assimilantur Praecocibus. Saporem et odo-

odorem non soli confundunt Noribergenses, sed et alii Germani, Galli, Latini. Ananasae saporem similem pronuntiant, fragis, pyris Bergomatiis, malis Persicis, Armeniacis *Renette*, cydoniis, cerasis, Vino Rhenano, Saccharo, Melli. Peculiaris inest sapor odorque vix exprimendus.



Vm nimium angustis mens nostra circa prima rerum constitutiva principia coērceatur terminis, ita ut a cognitione primarum causarum ferme excludatur, et eo res tantum redeat, ut quos unum in alterum corpus inferat effectus, (actiones et reactiones corporum in scholis philosophorum audiunt) solum explorare queamus, hosque non ex primis, utpote remotis, sed ex propinquioribus et sensui obviis principiis; huic quoque viae tritae nobis insistendum erit et demonstrandum, quid de Ananasae naturali temperie gustus nobis promat.

Huic enim sensui prae ceteris palmam defert Vir sui seculi summus, Andr. Caesalpinus de Facult. Medicam. Libr. I. c. 1. *Soli sapore*, inquit, *certius et propinquius non solum temperamentum ostendunt, sed et reliquas facultates longe efficaciores, tum ad morbos gignendos, tum ad sanandos, et c.* loc. c. 4. *A Saporibus certissima habentur facultatum indicia, non solum primarum, sed et reliquarum omnium.*

Huic sententiae applaudit, eamque illustrat ingeniosissimus Schelhammerus. *Quicquid concinna colorum varietas et ineffabilis ex eorum miscela exsurgens pulchritudo oculis offert, vanum esse et merum prope ex rerum superficie remantis luminis ludibrium, Mathematici demonstrant: Qui auditum demulcet, auresque titillat, suavissimus et caelestium*

choro aemulus putatus concentus, tremulae motus aurde est, et paulo plus quam nihil, in quod promte hinc etiam evanescit. At sapore (quod cum odoribus habent commune) proximo corporum contactu ipsas, ex quibus constant, particulas offerunt: et cum tactus externa tantum sentiat, intima et recondita naturae gustus percipit et contemplatur. Quae cum ita sint, quid deliciosissimi fructus illecebrae gustui communicent, inspiciamus. Abblandiuntur linguae quam maxime, quatenus poros atque tubulos, papillasque nerveas, grata dulcedine laxant ac demulcent, et, sicuti Lucretius l. 2. de rerum natur. v. 399. exprimit:

*Jucundo sensu Linguae tractantur in ore,
ut facile agnoscas, e laevibus atque rotundis
Esse ea, quae sensus jucunde tangere possunt.*

Quae Poëtarum Philosophus e Democriti Praeceptoris principiis hausit, qui χυμὸν γλυκὸν τὸν στρογγύλον καὶ ιυμεγές, saporem dulcem, rotundum amplumque, pronuntiavit. Gaudent enim hae Nanam sive Ananasam constituentes particulae flexibilitate, mobiliique mollitie, omnique pertinaci irregularitate ac figurarum asperitate maturi fructus destituuntur. Involutae tamen sunt his dulcibus roscidisque et linguae et gulae blandimentis salinae particulae, πρώτως et primario nerveas papillas linguae molliusculæ lancinantes, quas si quis molles aculeos cum Willisio de Anim. Brut. c. 12. de gustu, pronuntiari velit, licitum erit. Hae salinae particulae a roscidis oleosisque ac serosis solvuntur et obtunduntur, ac quasi involvuntur, ut linguam ne feriant, sed titil-

titillent : aqueis enim serosisque particulis abundat hic fructus , ut vere in illum Hippocratis istud quadret : *γλυκὺ ἐς δύραμιν, οἷον ὕδωρ, γλυκὺ ἐς γεῦσιν οἷον μέλι, dulce ad potentiam velut Aqua, dulce ad gustum velut Mel.* Libr. 2. de Alim. c. 5. t. 13. Ad naturam vero acidorum has salinas fructus nostri moleculas accedere, gustus saepe dulcacidiusculus, analysisque probat chemica, quae efficit, ut omnia dulcia spiritum acidum magis ac minus corrosivum fundant.

Elasticas , spirituosas , sulphureas particulas in gremio Ananasae latere , et per internam fermentationem caloris ope evolvi, odor fragrantissimus innuit. Nec enim Theophrasto Plinioque fides habenda, qui dulcia raro odorata esse perhibent; quam opinionem alibi destruximus : tanta enim fructus hujus dulcedini conjuncta et commixta est fragrantia , ut secundum Acostam, odore dignosci queant aedes, in quibus asserventur.

Ex hac particularum hactenus recensitarum modificatione, i. e. figura, textura, partium fluidarum motu et combinatione , fluit fructus hujus efficacia virtusque, quae ex Idiosyncrasia subjectorum fructus comedentium variat; ut nihil adeo certi quoad vires et effectus decernere et definire quis queat, nisi semper facta relatione ad individuum. Quod cum varium sit , varia pariter hujus fructus visitur efficacia , operatio et saporis species. Licet enim negari haud queat, diversas illius recensitas species , saporis quoque atque odoris parere differentias, hoc tamen diffidendum non est, unum eundemque fructum, a diversis comedunt , diversas impressisse papillis nerveis , ceu gustus or-

gano, saporis ideas. Hinc Auctorum in exprimendo vero et adaequato Ananasae sapore dissidium.

Praecocibus, quae malorum Armeniacorum species, (unde Gallorum *Abricot* detortum,) sapore assimilat cum plurimis aliis illustris Thevenotius, dum scribit, *il laisse a la bouche un odeur d'Abricot.* *Palato mali praecocis odorem relinquit.* Saporem hic cum odore confundit vir clarissimus, aequa ac a Germanis nostris interdum fieri assolet; nec enim quis solos Norimbergenses nostros ideo false sugillet, quod in Lexico Germanico Serotini factum, tanquam non nisi quatuor sensibus ideo sint praediti, cum non apud nos nata, aut unice recepta sit ista sermonis ratio, qua uno eodemque vocabulo res, ad gustus et odoratus sensum pertinentes, pronuntiantur et efferuntur, sed et ab aliis id quoque fiat. De Dialecto Germanorum Australium Helvetiorumque, ex Historia Concilii Constantiensis Ulrici de Reichenau, itemque germanae fidicinis lyrae, acutissimi Opitii, paraphrasi poetica Cantic. Canticorum hoc fuse probavit πολυμαθίσατ @ Wagenseilius de Noriberg. Reb. notab. cap. 16. p. 110. Penes Gallos quoque hanc vim normamque loquendi esse, ea, quae e Thevenetio modo adduximus, probant; et apud Latine scribentes frequentissime legitimus, aliquid Hyblam Atticosque flores sapere, pro bene olere, et vice versa. Sed ad saporis Ananasae varietates redeundum nobis.

Fragis similem pronuntiarunt plurimi, quos inter Neuhoefius in Brasil. descript. p. 240. et in Itiner. Sinic. p. 346. Bonitus Hist. Natur. et Med. l.. 6, c. 50.

Qui

Qui legitis Cinaras atque Indica dulcia fraga.

Marggrav. Hist. Plantar. Brasil. Libr. I. cap. XVI. p. 33. alii-que.

Pyris, a Bergamo Italiae urbe dictis Bergamatiis, succo saporeque egregiis, comparat Ananasae saporem Cl. Muntingius, qui mox malis Persicis, quod ad gustum, aequi-parat. Dn. de Loubere vero deliciori malorum Arme-niacorum speciei, Gallis *Parvie* dictae : Malis, quae Gallis Renette, sive renata, Anglis *Pippin* dicuntur, assimilant Roche-fortius et Pometus, vel, ut Martialis versu exprimam,

dulcibus aut certent quae Melimela farvis.

Cydoniorum et Nucis moschatae mixturam Ananasam ex-primere credit Historiae Mexicanae Auctor. Cerasorum suavitates in fructu hoc se gustasse Langhansius; vini Rhe-nani vero delicias in Jajagna, Ananasae specie, Meisterus exi-stimant.

Μέλιτὸν καλάμινον τὸ λεγόμενον σάκχαρον, sive Mel arundineum, quod Saccharum dicitur Arriano in Peripl. Mar. Erythr. in fructu hoc ob dulcedinem, se reperisse testatur, Hyblaeum superans Nectar Cl. Muntingius. Sed ut brevibus me expe-diam, illi denique, quibus intimus Indias perlustrare, resque naturales accuratius nosse datum, fateri coguntur, inesse fru-ctui huic peculiarem plane saporem, qui ex innumeris suavi-tatum plurimarum conjunctionibus mistus omnes, quas hactenus recensuimus, delicias exhibeat, adeoque verbis vix exprimi queat. Ut major his, quae scribimus, habeatur fides, testes advoco autoptas, Rochefortium et Pometum, quorum ille in Historia naturali et morali Antillarum Insu-larum

larum Livr. I. chap. X. Artic. VI. p. 120. Edit. ult. in IVto.
*Elle a un goût si relevé, et qui lui est si particulier, que ceux
qui l'ont voulu parfaitement décrire, ne pouvant le faire sous
une seule comparaison, ont emprunté tout ce qui se trouve de
plus delicat, en l'auberge, en la fraise, au Muscat, en la Rénette,
et apres avoir dit tout cela, ils ont été contrains de confesser,
qu'elle a encore un certain goût particulier, qui ne se peut pas
aisément exprimer. i. e. Tam sublimi, peculiari plane ac singu-
lari sapore gaudet, ut accuratius illum descripturis, cum sub
una comparatione id fieri nequeat, opus fuerit, omne il-
lud trahere in subsidium, quicquid in malis Persicis, fragis,
uvis Apianis, malis renatis et melimelis suavitatum et de-
liciarum est. At postquam haec omnia dixerunt, fateri tan-
dem coguntur, inesse huic fructui proprium et verbis vix
exprimendum saporem. Pometus vero l'Histoir. general.
de Drogues, haec de sapore Ananasarum habet : *Elle est
si savoureuse, que je ne la sauroit mieux exprimer, si non en
disant, qu'elle a le goût de la Pêche, de la Pomme, du Coing, et
du Muscat tout ensemble. i. e. Tanta saporis excellentia, ut
melius vix me expedire queam, quam dicendo quicquid
deliciarum in Malis Persicis, Appianis, Cydoniis, uvis Mosca-
tulis, in Ananasae fructu simul commixtum esse.**

Nec minor diversitas odoris est, quam erat saporis.
Alii Rosarum fragrantiae, alii vinosa suaveolentiae, alii po-
morum, solis calore ad maturitatem tendentium, halitui,
alii illi Persicorum generi, quod a malis et cotoneis nomen
apud Italos et Hispanos invenit; iterum alii isti, quem ipsa
Cydonia fundunt, haud dissimilem pronuntiant, fando
haud

haud accurate exprimendum, nec calamo circumscribendum. Propius accedes, si vinosum pronuntiaveris.

C A P V T VI.

Omnis Terra Ananasae colendae apta. Montosa, umbrosa, arenosa et aquosa loca. In Septentrione terra calidior fimo equino infecta eligitur. Irrigatio. Aër liberior. Boreas inimicus. Aedes fene- stris obductae. Rudbekii fornaces subterraneae. Primo vere Aëri non est exponenda. Propagatio ex apice sive Corona, quae humidissima: ex germinibus caulis: ex semine dubia est: ex foliis. Per folia propagantur Opuntia, Ficoides, Citrus.

Vm Ananasa non sit ex illorum fructuum genere, quos originis suae genialis amor adeo delinavit, ut nullo labore, nulla industria, inge- niove et arte alibi, quam ubi primum nati, ad culturam disponi possint; nullam enim terram, culturae officiis studioque debito praeparatam, dedita- tur: nunc, quale solum diligit fructus noster,

Nec vero Terrae ferre omnes omnia possunt,
dispiciendum. Variant exoticorum Auctores in solo huic plantae assignando. Nard, Anton, Recchus Mexicanas Ananasas montosis locis, Neuhofius in India orientali, in umbra, subeunte tamen humoris salubritate, felicius germi- nare asserit, additque, Terram feligendam, vulgo *soete en gulle*, dulcem et mollem dictam. Secundum Floram Ma- labaricam arenosa et aquosa loca amat, et

pullulat in campis siccis atque aequora juxta.

In regionibus nostris Septentrioni proximioribus, ubi major adhuc in cultum plantarum exoticarum

labor est impendendus, et omnes

cogendae ad fructum, et multa mercede domandae,

eligitur terra mollis, pinguior, calidiorque, cuius nativa macies deciduis arborum foliis, vel ligni scobe, in putredinem resolutis, fimoque equino recenti corrigatur et acuatatur; et quoniam iteratis calefieri vicibus amat, aliquoties fimo recreetur equino, fenestrisque ab omni inclemetiori aëre desuper muniatur, ne velut foetus in ipso utero ante partum tabescat.

Cave, ne siccus tractentur Ananasae: irrigandae ergo per fossam, ne caulem attingat pluvialis humor. Hoc ut impedit sedulus hortorum cultor, caulem arboreo cingat musco, humiditatem longiuscule conservante vel arcente. Opera quoque danda, ne crebrioribus imbuantur imbris, ac pluviales foliorum interstitiis inherentes guttae, cauli damnum inferant in putredinem vergenti.

Aér eligatur aliquanto liberior, quippe cuius beneficio sursum eriguntur in germinatione, conservantur in augmendo et vitae processu, succorumque pariter circulus et fermentatio facilitatur. Ab omni Borea immunes sint,

cum Boreas semper Nanae saevissimus hostis.

Hinc cum e calidiori climate in nostrum transvecta planta, (quae nullum fere nunc caelum aut solum fugit,) in areolis fimo repletis et desuper fenestratis aedibus, quibus calor intendi, sicque ad debitam maturitatem cogi, et a frigoris

goris injuria defendi possunt, conservandae, aediculae vero illae ingruente inclemtíori statim autumno claudendae.

Vel si aedes e vitris confectae] aliaque commodiora desint hibernacula , ad ductum Cl. Rudbekii, subterraneae fornaces in usum trahantur, quarum beneficio vegetantes orientis calores aemulatione quadam , ad nivosos borealis climatis horrores retrahere liceat, et germinationem exotícarum stirpium, (etiam ex ipsis seminibus) desperatam huc usque promovere ; de quibus maximus naturae mystes, Major,in Gen. errant. cap. 11. Plura itidem de fornacibus his subterraneis Hessus.

*Mollem igitur ne laedant frigora Plantam,
haec contra duros hiemis servanda rigores,
donec agat zephyros annus solemque reducat.*

Cave tamen , ne vere ineunte statim aëri exponatur, priusquam aestas appropinquaverit, et plurimum jam deflagraverit; amat quippe aestum, in fervida producta regione, qua calor maxime viget,

quaque dies mediis flagrantibus aestuat horis.

Ad Propagationem plantae quod attinet, diverso fieri amat modo. Commodissimus est per plantulam novam e fructus cacumine resurgentem, foliacum apicem sive coronam vulgo nominatam ; quippe quae decerpta, soloque convenienti impacta, facile propagari potest. Tanta foliacem hanc coronam humiditate scatere asserit Fr. Pyrard *discours du Voyage des François aux Indes orientales, et Traité des Animaux et fruits des Indes observées par Autheur chap. 9. p.332.* ut quindecim pene dies extra terram relicta non cor-

rumpatur, sed ad Ananasae propagationem apta remaneat; quod propria experientia confirmavit toties nobis laudatus Volkamerus. Ex Illustr. Commelini mente, fructu absurso planta relinquitur, donec nova germina producat, quae anno insequente divulsa, et solo eidem modo predicto impacta, secundo posthac anno ad frugem rursus perducantur.

De Ananasae per semeri productione altum apud plures exoticorum scriptores silentium. Si fides habenda foret Henrico Hesslo in Hortulan. German. vernacula lingua conscripto et edito, res esset facillima. Sic enim ille: E seminibus, qualia non quidem in fructibus apud nos coacte maturescitibus, sed ex India allatis, reperiuntur, propaganda Ananasa, id quod sequenti contingit modo: Semen, citri semini simile, coloris tamen magis bruni, vere ingruente per diei unius spatium aquae committitur, exemptumque iterum siccatum, et satis profunde in solum pingue optimo fimo equino praeparatum, atque in vase vel cista enutritioni plantarum destinata, asservatum deponitur; probe irrigatur, et ab omni frigoris pruinaeque arcetur accessu. Vas, cui committitur, sit satis amplum, ut diutius in illo conservari possit, cum non sine evidenti periculo transferatur. Interdiu quoque semper obtegenda planta, ad concentrandos solis calores. Mense secundo plantulam videbis seminalem, cinarae instar prodeuntem, foliolis angustioribus, indies tamen in majorem molem tendentibus, usque dum ad debitam magnitudinem pervenerint. Haec Hessus, penes quem sit fides, quae pluribus vacillare creditur.

Omnem

Omnem fidem et experientiam primo intuitu superare videtur, quae ~~ad avicinandas~~ alias Kircherus de hac Ananasae propagatione per folia tradit. Refero ejus ipsissima verba Chin. illustrat. p. 189. *In Ananaſa, inquit, admiratione dignum occurrit, quod non semina ſolum in terram projecta, ſed et ſurculi, quin et folia ipſa terraē implantata, novas similesque plantas fructusque producant, quod et multis aliis plantis contingit.*

Mirà haec per folia propago, non tamen impossibilis, modo curiositatis amans ~~egregi πενιαλιμητοι νοσει~~. Sed si per analogismum Opuntiae quis propagem per folium perpendat, Kirchero omnem non abjudicabit fidem. Sic ~~φιλατελον κάρα~~, Cl. Volkamerus retulit, in suo horto foliola Ficoidum non-nullarum in terram decidua, laete vegetasse, ficoidemque produxit; id quod de Aloë Africana brevissimo crassissimoque folio, flore subviridi, quoque annotavit Exc. Commelinus Hort. Amsterod. P. II. p. 11. Citri nova per folia productio certe habet, quod in admirationem rapiat curiosos. Quis unquam credidisset fieri posse, ut exsucca pene folia terraē mandata, radices agant, e fibrillis protrudant folia in ramusculos ſe expandentia, dorsalisque folii nervus caulis truncique tandem vicem suppleat. Conjunctissimi Fratris, Pastoris Furthenſium vigilantissimi, citretum centenis experimentis hoc artificium commonistravit, indeque Summorum Imperii Procerum promeruit gratiam, qui rem mirandam clementissimo dignati ſunt aspectu. Hancque novam, a Mirandola olim jam indigitatam, foliaceam citri productionem, Hesperidum Noribergensium Tomo

secundo solertissimus operis hujus laudatissimi Auctor, Vir nobilissimus et integerrimus J. C. Volkamerus uberius declaravit.

C A P V T VII.

Vsus Medicus. Succus roborans est : in malo *Eſſalvados* dicto. Vis cordialis in Electuariis analepticis. Siti medetur. Sanctorii Instrumentum. Melones Aquaticae praestant in siti restinguenda Ananasae. Num in Febribus exhibenda? Petroselinum, Noribergensium deliciae, ulcerosis fere letale. Ananasae vis diuretica unde? quomodo temperanda. Folia diuretica in hydrope. Ab Ananasa ὄργασμος. Vsus in Gonorrhœa. Vis alexiteria. Aqua Ananasae spirituosa.

 Icet apud nos, ob fructus adhuc raritatem, indeque fluentem caritatem, in officinas Pharmaceuticas usumque medicum nondum fuerit introducta Ananasa recens; utraque tamen *India surgentem ad solem, vergens ve cadentem* virium Medicarum notitiam habet. Jam enim illis in oris, hujus remedio atque usu

foeda malorum

*Pestiferum dat terga cohors, praenuntia leti
Victa jacet legio, debellatique dolores.*

Succus Ananasae in optimorum roborantium numero est, quatenus portionibus aethereis, elasticis, sulphureis, motus sanguinis turbatos impeditosque, ad circulum rite peragendum revocat et invitat, sive, ut nonnullis placet, spirituum e sanguine ortum atque vigorem, promovet, instar Vini gene-

generosi. Hinc in malo, *Esfal-vados* dicto, quod est debilitas e nimio Veneris oestro proveniens, (de quo Dellen *Traité des maladies des Pays orientaux* chap. 8.) mira praefat, ideoque laudibus extollitur a Rochefortio, Pilone, Marggravio aliisque.

Eodem modo magnifice animum languidum recreare, spiritus sopitos excitare, amaraque curarum (ut Vini laudes a Lyrico mutuemur) efficaciter eluere, Muntingius testatur. Vim ejus cordialem celebrat Rochefortius, hocque titulo in Electuariis analepticis Ananasa in Indiis condita locum invenit; quippe sanguinem nimia ebullitione attenuatum, adeoque in cordis thalamos majori, quam parerat, impetu irruentem, particulis dulc-acidiusculis placat et compescit.

Siti intensissima ardentibus propinandam Nanam suadet Historia Mexicana: roscida nempe humiditate, qua glaciei instar in ore se resolvit, linguam sicciam et exsuc-
cam ubertime irrigat. Carere igitur possunt Indi elegan-
tissimo Instrumento, quod pro siti sedanda a Statices illo
ingeniosissimo Statore, Sanctorio, Comment. in I. Fen. Avic.
quaest. 87. excogitatum est ac descriptum. Quod si ta-
men et hoc insuper expeteretur, Ananasae impleri succo
suaderem, quo per foraminula sensim exstillaente, omnis
scabrities linguae ariditasque, quae aestus febriles comi-
tari solet, fugatur. Quamvis ad extinguendam febrilem
sitim, tanquam meliores et securiores Nanis, citrullo affi-
nes Melones aquáticas Brasilienses, vulgo *Melons d'eau*,
Germ. *Wasser-Melonen* dictas, substituat Bosmann, *dans*

la descript. de Guinee : quem fructum post Marggravium et Pisonem , vivis quasi coloribus exhibuerunt , Rochefort , du Tertre , Purchas aliique Historiae Indicae scriptores , quos pagina non capit ; omnium tamen optime nuperimus Virginiae Encomiastes *dans la description de la Virginie.*

At circa usum Ananasae in febribus in diversum tendunt Auctorum sententiae. Historia Mexicana tanquam febrium refrigerium commendat ; Piso autem febricitantibus , vulneribus et ulceribus infestatis , (febres forte innuit symptomaticas , istis plerumque connexas) abstinentiam ab hoc fructu monet . Adeo enim humores accendere ait , (forte illo Hippocratico Libr. 2. de diaet. c. 33. motus , τὰ γλυκα θερμαινειν πέφυε , dulcia calefacere solent ,) ut non solum aegrorum impedit restitucionem , sed et in pejus eos disponat : quem infelicem successum cum Celeb. Wormio , a fructibus crudis , et ad maturitatem debitam nondum eventis , acidoque adhuc corrosivo scatentibus , provenire reor .

Negandum certe non est , diuretica , (quorum classi hunc fructum inserendum esse , latius mox probabimus ,) effectum hunc , Ananasae a Pisone adscriptum , saepius in casibus similibus prodidisse . Sic Petroselinum , sive Apium hortense , quotidianum civium nostrorum alimentum , quod non , ut alibi fieri consuevit , carnis pro grato sapore conciliando incoquunt , sive , ut Plinianis me expediam , *inter oblectamenta magis quam cibum recipiunt* ; sed plenis buccis ingerunt , ut reliquae culinares herbae hujus respectu ipsis pro nautea , nullum quidem bene valentibus incommodum

modum parit : at vulneribus et ulceribus afflitos inflammations ex στελιωχρεοφαγίᾳ sensisse non leves, sed erysipelaceas, aestu subsequentे febrili incredibili, recordor. Idque malum toties recruduit, quoties herbam hanc comedere repeterent, ut et ipsis ferme letalis fuerit planta, apud Romanos epulis dicata feralibus. Causa quaerenda est in particulis acribus, plantae huic inhaerentibus : unde vis diuretica πράτως dependet, quibus serosae sunt immixtae, ut gustu statim discerni nequeant. Quis hic non cum philosopho Poëta exclamat :

*Nec ratio remedi communis certa dabatur :
Nam quod alis dederat vitaleis aëris auras,
Volvere in ore licere, et caeli templa tueri,
Hoc aliis erat exitio, letumque parabat.*

Eodem se modo res cum Ananasa habet, cuius vis diuretica reliquis omnibus praepolleat, Neuhofio, Pisone, Rochefortio testibus, qui in urinae suppressionibus pellendoque calculo Nanam, incantamenti instar, solatum afferre contendunt : quali ratione autem vim diureticam exserat, facile colliget, ὅσιος κατὰ Θυμὸν ἐπισηματο νόησαι, ut Homeri verbis in Hymn. Apoll. utar. Cum enim fructus hi comestii copiosam materiem aqueam, glaciei instar in ore diffuentem, suppeditent, quae ad renes postea propulsa, et in ureteres per carunculas papillares angustissime perforatas transcolata, in vesicam denique, veluti corporis matulam, derivatur ; nemo non videt fructum hunc merito inter diuretica reputari. Etenim sub tenaculis suis mollibus, dulcibus, viscidis, junctum habet characterem salinum, qui

viscidum tenaxque coagulum in renibus attenuat, liquat, abstergit, fundit, serumque a sanguine secernit. Sunt hae particulae salinae in Nanis immaturis adeo conspicuae et acres, et calculum tanta vi protrudunt in urethram, ut, exitu ipsi denegato, vitae discrimen nonnullis attulerint, referente hoc Ampliss. Cleyero, Protomedico et Consiliario supremo Judicij in Batavia Insulae Javae majoris splendidissimo, Dec. II. Ann. IV. Obs. V. Ephem. N.C. qui proin modum, quo tutius exhiberi queat, praescribit sequentem: Sumitur integer ad maturitatem redactus fructus, inque taleolas sectus Mariae balneo immittitur, ut succus exfudet, et accidente calore, vis aliqualis caustica fructus in maturam dulcedinem convertatur; qui postea succus blandissimo balnei calore correctus, jucundius tutiusque remedium existit.

Folia quoque diuretica non destituuntur facultate: haec enim in Aqua Oryzae (quae teste Dellen *Traité des maladies des Pays orientaux* chap. 5. p. 24. Ptisanae nostrae vices supplet,) cocta et pulvere Baliari mixta, in potu assumta, hydropicoruin ventres purgant, teste Hort. Malab. loc. cit.

Est et Ananasa remedium,

Venerem quod roboret aegram,

dum sanguinis motum auctiorem reddit, cum dulcia plurimum ~~επιπονή γλυκερίς~~ corpori foenerent, seroque ~~δραγμούς~~, partim et vis illa diuretica, genitalia majori cum impetu extendet, vasaque spermatica turgidiora efficit. Sed plane diversas hunc fructum in gonorrhœa vires promere, Muntingius asserit; nisi gonorrhœam benigniorem, a superflua senii-

seminis generatione ejusque turgescientia subortam, intelligat.

Abdominis ex flatibus intumescentiae immatuos fructus mederi, Hortus Malabaricus loc. cit. annotavit.

Alexiteriam huic inesse vim, Cl. Piso Hist. Nat. et Med. Libr. IV. Edit. sec. probat, dum Ananasae succum venenis, imprimis succo Mandihocae, *Manipura* dicto, largius et crebrius hausto, adversari refert; qui, Rochefortio subscripte, porro memorat, Ananasae radicem idem praestare.

Ex eodem fructu fermentationis via, ut Chymicis loquafas est, humida tractato, aequaliter sic attenuatis per motum intestinum particulis sulphureis aethereisque ac subtilisatis, et excussis visciditatis vinculis, spirituosa ardensque obtinetur aqua, in qua concentratum, quod in fructu maxime activum; adeoque parva dosis majorem fructu effectum praebet; si tamen largius sumatur, Pisone et Rochefortio hanc cautelam suggesteribus, vias urinarias corrodit. Hinc Auctores suaforesque sunt omnibus, ne illam, nisi a prudente medico, qui acrimoniam corrigere novit, exhibitam, quis assumat.

C A P V T . V I I I .

Poma mitia. Ananasa in conclavi maturescit *Nanae cacabae*. Cibi inde parandi ratio. Vino, aquae, muriae immerguntur. Crudae cum aromatibus comeduntur. Fructus horaeus est. Mycalesiae Cereris fructus. Condite in Europam afferuntur. Succus cum aqua mixtus. Vinum inde paratum. *Nanaja*.

Praeclaras Ananasae virtutes, et quot quantaeque in genus humanum, singulari DEI optimi beneficio, inde manent utilitates, vidimus. At jucunditate, qua hominis palatum demulcet, non minore pollet, utpote deliciis omnibus longe praferenda. Expetitur autem Nana adulta matura que. Maturitatem in pomis Virgilius per vocem *mitia*, interpres autem ejus, Servius Maurus, melius adhuc expressit, definiens, *mitia poma esse, quae non remordent, cum mordentur.* Hoc pariter in Ananasa evenit, cuius mitis maturitatis dulcedo, non immaturaie immitis cruditas desideratur.

At vero quae vi solis maturescunt, minoris fiunt apud Indos, secundum Pisonem, quam illas, quae in conclavi vel oporotheca aliquandiu suspensae sunt, ad imitationem Martialis in suspendendis pyris,

quae lentaे pendent religata genistæ.

Vocantur autem Nanae ad maturitatem eductae, et suo tempore adultae, Marggravio teste, *Nanae cacabæ*, quibus tamen si degustandæ, externa prius cutis auferenda.

Decorticatam Nanam, inque taleolas sectam, Vino madefacere solent lautiores Hispanico; sic enim tolli illius noxam, non frustra existimant, modo tantum temporis in vino haereat, usque dum hoc prorsus imbiberit, supeturque eo modo succi pravitas. Imprægnatas sic vino taleolas, cinamomo saccharoque inspergunt Africani litoris auriferi incolæ, teste Bosm. in descript. Guineæ.

Quibus vinum non suspetit, aquæ immittunt fructus disle-

dissecti frustula, ut acrimonia extrahatur, teste Neuhofio in Itin. Indiae oriental. p. 209. Muriae quoque immitti, Historia Mexicana his verbis meminit, p. 311. Recentia secantur in frusta, ac muria permittuntur immadescere, ut pars in bilem apta nata converti exsiccatur, ac veluti evanescat.

Nanas autem plerumque in mensis exponunt secundis, quatum oblectamentum et ornamentum sunt. Crudæ comeduntur, nunquam tamen sine aromatibus nec citra vini irrorationem. Estur quoque cruda cum pipere.

Si diutule asservetur, putredini, instar aliorum horaeorum fructuum, obnoxia: nec enim per annum durat, sicuti fructus Mycalesiae Cereris in Boeotia, qui ad simulacri pedes expositi, integri vegetique per anni fere totum spatium perdurabant, si Graecorum narrationibus habenda fides. Ut a corruptione igitur conserventur, Saccharo condiuntur in universum annum, quae partim aegris fitientibus magnifice auxiliantur, partim, ut Plinii verbis rem eloquar, condendis cibis miram conciliant suavitatem. Atque hos conditos, omnium ex Indiis allatorum fructuum delicatissimos pronuntiant Rochefortius, Acosta, Neuhofius, Muntingius aliquique eosque Lutetiae Parisiorum venales semper prostare, Pometus testatur.

Fructus per longum dissectos, via sicca cum teneris foliolis condiunt, et postea secundum artem iterum conjungunt, glacieque incrustant saccharina, ut hoc ipso figura fructus foliorumque integra conservetur, et Rochefortio scribente: *Fait voir en ces heureuses contrées, non obstant les chaleurs de la zone torride, une douce image de triste*

productions de l'hyver. i.e. In felicibus hisce regionibus, (de Antillarum Insulis loquitur,) non obstante zonae torridae aestu, dulcis funestorum hyemis effectuum imago exhibetur.

Amplius succus Nanae exprimitur et pluviali fontanaeque aquae, hydromelis instar, commiscetur, teste Marggravio.

Nanajam, Vinum ex Ananasis paratum, nominant, eodem Marggravio annotante, quod Malvasino comparant Rochefortius et Pometus, generosiusque cunctis aliis Vinis pronuntiant. Nanaja haec tribus septimanis seposita, in fermentationem abit, corruptioni proximam. Quod si quis totidem adhuc expectet hebdomadas, in integrum restituitur hocce vinum, generosius longe priori evadit, voluptatumque lenocinium existit, si modice quis eo utatur mediceque. Spiritus etenim recreat animales, languenti opitulatur cordi, stomachique medetur nauseae; urinae suppressiones tollit, omnibus malis averruncandis, quibus et fructus, inservit, de quibus jam pluribus actum est.

C A P V T I X.

Fructus immaturi exitiales; maturus an ferrum arrodat? Foetum abigit.

Slyptonge. Bilem auget, ut dulcia omnia. Anginam efficit et inflammations, haemoptysin, ventris tormenta. Luxuria Indorum immoderata.

Vm nil profit, quod non laedere possit idem: Ananasie quoque, aut intempestivus aut intemperatus Vsus plus Aloës quam mellis habet.

Intempestive comeduntur immatura, quas summe exigiabiles funestasque pronuntiant Indica-



dicarum rerum scriptores. Quod si, ex Acosta et Linschotani fide, cultellus maturae insertus Ananasae, per aliquod temporis spatium, quoad partem vulneri inhaerentem fere consumatur: (hinc Dureto fructus ferrum comedens, *Fruit qui mange le Fer:*) quid de immatura expectandum? et quae turbae ex ejus esu metuendae? Dissimulandum vero hic non est, cultri Ananasae infixi erosionem erroris redarguita Cl. Bosimanno in descriptione Guineae Epist. 7. p. 316. et Terentio Not. in Hist. Mexican. qui hoc merito fabulis accenseri anilibus, contendunt: cultrum enim, non per horae dimidium, sed per dimidium anni, huic fructui infixum non corrodi, licet acies ejus obtundatur, quod ab omnibus acidis, malis citriis, aurantiis, limonibus aliisque fieri solet.

Intempestive etiam hunc fructum praegnantes sumunt, ob nimiam aquas et calculum pellendi vim: quid mirum igitur, si utero gerentibus exhibitae, et ab illis comedentes, foetus abigant, instar fructus *Caraguatae-acangae*, quae non secus atque Ananasae immatura, acidulo sapore dentium stuporem non tantum inducit, sed et linguam atque fauces fauiciat, palatumque excoriat, ut non immerito *Slyptonge* a nautica pube nominetur.

Hujus facultatis non ignarae meretrices Indicae, ut viris tuto se prostituant, sceleratum infanticidium esu Ananasae immatura et Caraguatae exercere memorat Piso Histor. natur. Brasil. Libr. IV. cap. 82. p. III.

Biliothis hunc fructum minime conducere, Historia Mexicana annotavit, cum balsamicum bilis liquorem nimium quantum adaugeat; quod ab omnibus dulcibus fieri vulgo credi-

Unable to display this page

vix vivere possunt

*His sine, tanta illis est gratia, tanta voluptas :
illas quoque luent poenas, quas*

tot pabula luxus

et recte gladio plures occidere dictae

scitamenta gulæ

corpori humano intemperato usu accersere solent.

Sic Ananasæ optimæ , intempestive et intemperate sumptae nocent, ut cum Plinio tardum dictu, pluribus profint, an noceant ; neque viribus corporis utilius aliud, neque aliud voluptatibus perniciosius.

C A P V T X.

Ananasæ animalibus, volucribus, insectis, grata. *Guinambi* Avicula minima cur *Tomineo* dicta. *Ejus rostellum*. Lingua. *Colybri* illius species. Caput, pedes, alae, volatus velocissimus. Anglis *Hummingbird*, Germanis *Blumen-Specht*, Sinensibus *Tunchonfung* unde dicantur ? Plumarum venustas, unde varia nomina. Ex his Icones pingunt, inaures faciunt. Bene olent. Passer moschitus. Niduli, ova : utraque in Museis visuntur. Num ex Erucis generentur ? an hyeme moriantur ? Renatae. Captæ vix per diem vivunt. Cantus ut passerum, non lusciniae. *Hoitzitzlin*. Vsus Medicus. Hostis *Nhamdu Guacu*, a quo dentiscalpia, describitur. Hostis Ananasæ, Insectum *Kakkerlakke*, quale ; a Meriana depictum. Neuhofii circa hoc Insectum observatio.



Ntequam coronidem huic opusculo imponamus, paucis juvat annectere, non homines tantum allici delitiosissimarum Plantarum præcipua hac Ananasæ ; sed et animalia, v. g. simias, Kirchero in Chin. illustrata teste, volucres et insecta , quorum catalogum recensere longum nimis foret.

Seligimus ante omnia verum naturae miraculum, eo quod
prae caeteris fructus hujus mellea in floribus latitante dul-
cedine delectetur, ac e Nanae bravae sive sylvestris, Pitá
dictae, filamentis exteriora nidi componat.

Avicula est e minimis quidem, magnum tamen stupen-
dumque DEI, ludere gestientis in rebus productis, opifi-
cium, ut vere dixerit Plinius, naturam nunquam magis, quam
in minimis totam esse. Pro varietate gentium, specierum,
(quippe novem describit Marggravius) et qualitatum, varia
quoque fortitur nomina, e quibus *Guinambi* vel *Guainumbi*
generale credit Piso Histor. Brasil. Lib. V. p. 319. Edit. 1658.

Magnitudo molesque itidem varia secundum diver-
sas species, cum aliquae cicadae, crabronis vel bombylii, aut
muscae majoris (hinc Illustr. Dionysio in Histor. natural.
Americ. Septentr. c. X. p. 152. *mouche* dictae,) vix exce-
dant. Mirum ergo non est, si tantae levitatis, ut unum
duntaxat Tomino Hispanicum, sive XII. grana pendat,
unde quoque nomen *Tominejo* fluxit, quo aviculam hanc
Joseph & Costa Histor. natur. et moral. Ind. occid. L. 4. c. 37.
et Nieremberg. Hist. Natur. Libr. X. c. 88. p. 239. designant.
Minima harum species in Aruba dominii Belgicae Coloniae,
in Curaçao Insula commorantis, repertu dari, Rochefortius
testis est. Neque minor in capite pro specierum diversi-
tate varietas, ut plurimum cum pennis cerasi dulcis medio-
cris magnitudinem vix aequat. Rostellum subrotundum,
aequale, tenue, et valde acuminatum, rectum, paululum
tamen versus extremitatem deorsum vergens. Color hujus
niger, excepta inferiore parte prope exortum, ubi rufescit.

Lingnam habet duplicatam sive bisectam tenuissimam, in nonnullis instar acus, qua uestes sarcuntur, secundum Ovidium; in aliis instar sutorii fili cerei, (*as a Schoomakers vva-xed Thread*) secundum Nehem. Grevv in Mus. Reg. p. 61. in aliis denique instar serici fili tenuissimi, secundum Pisonem et Marggravium. Hanc extra rostellum longe exserunt, ut florum melleum rorem extrahant et lambant.

Ex avicularum harum numero quandam *Colybri* dictam, Rochefortius in Antill. Histor. natural. et moral. cap. XV. Art. XVII. p. m. 176. et post illum Richard Blome dans l'Amerique Angloise dans la description de l'Isle de St. Christofle, describunt, quod plumeam in summitate capitis coronam gerat, quam in cristam pro lubitu erigere valet, eamque solis illustratam radiis, pretiosissimis lapidibus distinctam et coruscantem e Rochefortii mente quis judicet; qui insuper oculos parvulos, par Adamantium chalybi politissimo caerulecenti infixum, adaequare credit.

Crura et pedes aviculae huic minimi brevesque, cum Ebeni ligni nigredine certantes; in pedibus quatuor digitis, tres anterius, unum posterius versus longis semilunaribus, acutissimisque unguiculis praediti. Alarum remigium optime a Marggravio sequentibus descriptum: Alarum " pennae singulari arte a natura sunt compositae. Ab ex- " ortu enim alarum ad tres quartas partes digitii circiter " duplex ordo pennarum est, unus longior altero, et super- " positae sunt ibi invicem pennae, quasi alae breves super " longas; hinc post has pennas alae pennae (quarum cir- " citer decem sunt) sequens interior semper longior fit an-

,, tecidente exteriore, ita ut intima sit omnium longissima
 , finem alae definiens.

Ex hac alarum structura volantes velociter alas movent, et tanta quidem perniciitate, ut, secundum Illustr. Rajum in Willugbejano de Avibus opere, visu percipi motus minime possit, avicula vero alis potius carere videatur. Inter volandum strepitum quendam edunt, sic sentiente Marggravio instar Bruchi, seu rectius *Hur, hur, hur,* instar rotae linteariorum, quae circumvolvit, vel secundum Excell. Rajum instar apiculae; ut qui praetervolantes viderit, apiculas, vel crabrones potius, quam aves esse existimet. Inde Anglis *Hummingbird* dicitur, quippe *the Humming of bees*, bom-
bisationem, sive bombum et sonitum apicularum denotat.

Librant se quoque alarum ope per sat longum temporis spatium in aëre velut quietae, transparentibus pennis alarum expansarum, adeoque flores, quorum succo, rore et melle victitant, rosis tantummodo exceptis, rostellis suis inter volandum carpunt, floribus minime insidentes. A victu hoc, e floribus rore parato, Belgis Germanisque **Blument-Specht** audiunt. Hinc fabula quoque fluxit, apud Sinenses in Provincia Suchven hoc elegantissimorum volucrum genus e flore *Tunchon* nasci, quae proinde *Tunchonfung* Sinese appelletur, tanta velocitate a natura dotata, ut alarum remigio aërem tranans, florem expansis foliis pulchre ex-
primat. Vid. Kircher. Chin. illustrat. P. IV. c. VIII. p. 192. sqq.

Plumarum, caput, collum superius et ad latera, dorsum totum, et alarum initium investientium, tanta est varietas, tanta venustas, tantus splendor, ut calamo exprimi haud

haud queat. Hinc ipsi nomen *Ourissiae* sive radii solis, *Guaricoba*, capillorum solis; *Guaracaiba*, radiorum solis, apud Americanos fluxit, cum

mille trahant varios adverso sole colores.

Expediam me ab absolutissimi, quo gaudet avicula, pennarum ac plumularum vestitus descriptione, verbis disertissimi Patris Joh. Bisselii e Soc. Jes. in Argonautico Americano, sive Historia periculorum Petri de Victoria ac sociorum ejus, Libr. XIV. p. 428. *Pennularum nitor*, scribit, *versicolor lucet, sic ut smaragdinum virorem splendor sapphirinus, purpuram vero luteus auri fulgor provocet.* Denique quicquid oculus trahit colorum, id omne supra Parvorum et Iridis, *Admirationis filiae a veteribus dictae, varietatem, in illo volucris breviario natura miscet, mixtumque denuo secernit, haud ineleganti compositae venustatis discordia.* *Pictorum tormentum invidiamque dixeris, aut profecto manus Apelleae solers compendium.* Graphice certe haec Bisselius.

Hinc est, quod a Phrygionibus, teste Gomara in Historia, quam de Mexicanae Vrbis expugnatione scripsit, admodum expertantur plumulae hae versicolores, ut aureis intertexant staminibus. Imo Laëtius Not. in Marggravii Hist. Brasil. testatur, se vidisse plures Icones, artificiosissime ex hujus aviculae plumis concinnatas, ut colore pictae viderentur: si enim soli obvertas, mirabiliter splendent. Cui assentit Illustriss. Willugby, qui apud harum rerum curiosos plures se deprehendisse scribit.

Rochefortius insuper annotavit, licet mors aviculae plurimum plumularum venustati detrahatur; a foeminis ta-

men loco inaurium gestari eas, cum pretiosissimis certantes.

Nec visus tantum, sed et odoris illecebras illam provoca-re, autumat modo laudatus Rochefortius, quippe quae Ambram moschumque redolere soleat, indeque forte ab Oviedo summar. c. 48. *Passer moschitus* dicatur.

Nidulum pro corporis exilitate minutum, post Pisonem, Dionysium, et Neuhofium, nemo eodem Antillarum scriptore accuratius prodidit. Gossypini vel aurantii arbo-ris ramusculis agglutinatum, tam apte, tam concinne sub foliis abscondit, ut ab aëris aliisve injuriis immunis sit. Ar-chitectonices quasi peritissima nunquam Austro et Boreae, creberrime in regione illius patria flantibus, exponit. Ex-terna domunculae pars e tenuissimis Ananasae, Pita dictae, fibris filamentisque contexta est. Has tam affabre, tam arcte et concinne rostello nectere, ramoque curvo pro se-xus propagatione implicare novit, ut intuentes laborem stu-peant ac admirentur; et Dn. Edoard Graëves dans la Rela-tion de tous l'Etats et Pays des Apalachites, in haec erumpat verba: *le Colybri fait un nid, d'un si merveilleus artifice, qu'il est à craindre, que l'Arabie heureuse n'oublie desormais celuy de son Phoenix, pour celebrer celuy la.* i.e. Tam mirandi artificii nidum componit, ut metuendum, Arabiam felicem imposte-rum nidi phoenicis obliuisci, quo hunc celebrare queat. Con-textam sic externe, et corticellis tenuissimis, herbulisque firmatam, aediculam xyli floccis plumulisque, sericum ipsum superantibus, implet. Nidulis ita paratis foemellae ovula albissima, ut plurimum duo, secundum Pisonem pisa min-
ra, secundum Rochefortium vero majores margaritas
aequan-

aequantia, impotunt. Niduli hi artificiosissime fabricati, pro Museis cum arefactis aviculis ovulisque expetuntur, quorum plurima Dn. de Montel ex Indiis Europae intulisse, Rochefortius testatur. Sic Historiae naturalis exoticorumque rarissimorum interpres solertissimus, Excell. Ruyschius in Thesaur. Animal. Tom. I. p. 6. nidulum Americanae Ourissiae cum ovulis et avicula etiam exhibit. Miror, virum in Historia naturali perspicacissimum, Pisonem, errore haud condonando secundam Historiae Brasiliensis Editionem, circa hanc avicularum genesin inquinasse. Postquam enim de nido ovisque a foemella illic propullorum exclusione verba fecit, ad generationem, aequivocam in scholis olim dictam, dilabitur, et aviculas has ex Erucis Brasiliensibus (*Lagartas dos Vergas Lusitanis dictis*) transmutari credit. Adscribam ipsissima Pisonis Histor. natural. et Medic. L. V. cap. XXI. p. 319. verba, fictam hanc avicularum metamorphosin experientia, ne quis injuriam me fecisse viro alias solertissimo credat. *Cum enarratae Erucae, scribit, in has aviculas incipiunt transmutari, elegantissimae plumae cum alis primo apparent, ita ut tunc manifeste conspici detur forma erucae, quoad corporis partem inferiorem jam in aviculam transmutatae.* Idem de Papilionibus dictum volo, qui subinde in easdem aviculas eodemque convertuntur modo; atque durante illa conversione nascentis avis et denascentis infecti utriusque medietas eodem tempore liquido appetit. At mi Piso: Εὐθὺς τὰν ἀνεμάλια βάζει. Producit equidem hujus metamorphoseos testes, Theologum Lusitanum monachosque nonnullos, aequivocae generatio-
nis,

nis, a sanioribus philosophis dudum explosae, forte patronos: cum tamen univocam generationem per ovula jam ipse descripscerit Piso, cur illorum narrationibus tam temere fidem habuerit, non video.

Ejusdem farinae commentum esse videtur, quod hyeme hae aviculae moriantur, seu potius obdormiscant, pedibus nempe e ramo aliquo appensis aprico loco, secundum Fr. Lopez, vel rostellis pinuum aliarumve arborum truncis affixis secundum Hernandez et Nard. Ant. Recchum; vere vero reviviscant, seu exergiscantur, unde et Renatae Antillarum Insulis vocantur. Tamdiu scilicet superstites esse ajunt, quamdiu melligerarum herbarum fructuumque, ut Ananasae nostrae, flores, e quibus aluntur, perdurent: quibus decidentibus integro semestri spatio obtorpescant, immotaeque maneant, donec flores denuo renascantur. Nec nugae sunt, inquit Hernandez, aut cuiquam debet esse dubium: observata quippe est non semel avicula stipiti intra cubiculum affixa, et cum sex menses exanimis pependisset, quo tempore sibi a natura comparatum est, revixit, et demissa in vicinos agros avolavit.

- - - - Autaq; ὄπισθ

Οὐκ ἀναχωρίσω, μάλ' ἀληθεῖης πεποιθώς.

Credat qui velit, ego non sum credulus illis; ut cum Excell. Rajo in opere Willugbejano de Avibus loquar et sentiam: scribit enim vir in Historia naturali accuratissimus, τὸτῆς φύσεως θάῦμα, Marggravius, eas magno numero in sylvis inveniri per totum annum. Rochefortius quoque, fidus naturae interpres, fabulis accensendum putat, mais nous n'avons garde de meler ce conte, a la véritable l'Histoire de notre

notre Colybri. Sed abstinuimus hanc fabulosam narrationem verae aviculae nostrae, Colybri dictae, immiscere historiae. Illustriſſ. Dionysius ejus educationi et conservationi omnem impendit operam, vano tamen conamine, cum aviculae captae vix diem supervivant: id quod in Histor. Natur. Amer. septentr. c. X. p. 152. testatur.

De cantu earum dubius Rochefortius, cicadarum suffrum aemulari putat, sibique consentientes habet Marggravium et Pisonem, qui aviculas has magnum strepitum excitare sentiunt, non quidem canendo, ut nonnulli prodiderunt, sed passerum more sibilando *screp, screp, screp*. Quem igitur sublimem et suavem, lusciniae non cedentem, cantum aviculae huic cum Lerio et Theveto affingunt, non Guinambi est, sed Gonambuchae, avicularum harum forte speciei, quaenivei candoris plumis alisque lucet, nulla colorum caeterorum tinctura. Maizii sive cujuscunque frumenti, “ caulisque paulo celsioris, (uti Ananasae quoque nostrae) “ cacumina diligit. Eam sedem et quietem affectat occupat- “ que, nec inglorio tamen otio, segnive desidia. Cantillat “ enim perpetuo vocis ac spiritus fluxu. Quodque praecipue “ stupeas, cum corpusculi mensura vespam tabanumve sylve- “ strem non excedat: carminis tamen volubilem subtilitatem “ cum sonitus altitudine, penetranteque claritate, sic conjun- “ git, ut Gonambucham te videre, sed lusciniam audire putas. “ Haec Bisselius Soc. Jes. Pater eloquentissimus, loc. supr. citat.

Saepius laudatus Nard. Anton. Recchus, qui sub nomine *Hoitzitzlin* aviculas nostras descripsit, ejus pulverem seu potius cinerem epilepsiae mederi tradidit. De Guinambi illud

porro addo, naturae hoc prodigium in gulac oblectamentum a guloſo appeti Apicio. Sacrificulos enim Surinamenses his aviculis in cibis delectari, testatur civis olim nostra, celeberrimi Pictoris et Calcographi Graefii marita, nata Meriana, in splendido Metamorphoseos Insectorum Surinamensium opere.

Annotavit praeterea haec foeminarum curiosissima, aviculas has vernacula lingua *Colybritgens* (quippe diminutivum a colybri) infensiſſimos experiri hostes, in Brasiliensium Aranearum maximo genere, *Nhamdu Guacu* dicto, a Marggravio Hist. Brasil. Libr. VII. de Infect. cap. 3. p. 248. et Richard Blome dans l'Amerique Angloise p. 69. 70. descripto. Totum Aranei hujus, seu potius phalangii maximi, corpus tres et femis digitos longum est et bisectum. Anterior pars major est, et pene duos digitos longa, sesquidigitum lata, subrotunda et compressa; posterior magis orbicularis, nucis moſchatae majoris magnitudine et figura, sesquidigitum longa. In dorso medio versus posteriora foramen habet umbilicale. Capite caret speciali, sed supra os in anteriori parte corporis ocellos habet minimos, splendentes, instar punctulorum. Ordinem oculorum aranei hujus exhibit Cl. Blancardus in de Schovvbourg der Rupsen, Wormen, Maden en vliegende Dierkens cap. XXXIII. Ad utrumque oris latus habet prominentiam unguiformem, semilunarem, semidigitum longam, in extremitate dentatam, dente semilunari nigerrimo splendente, semidigitum longo, quibus pro dentiscalpiis utuntur auro inclusis: hinc in Museo Regio Anglico, ab Excell. Grevv edito, reperitur *the Thooth of the Nhamdu Guacu or Bahama-spider*. Crura habet decem, utrinque quinque, et

praeter duplice articulationem, qua corpori junguntur, quatuor internodia: omnia autem crura in extremitate duo habent exilia cornicula, nigra et bisecta instar cancri. Prope anum sunt bini processus semidigitum longi, juxta se positi, filii crassioris crassitie, quibus nere solet totus araneus. Vestitur cute pilosa, brevibus pilis nigris ad visum tactumque instar holoferici. Sed in hujus descriptione, parciori mihi esse licet, cum passim in Museis aranei hi Surinamenses, in que Volkameriano quoque Gazophylacio conspiciantur. Illud tamen moneri non ab re erit, innocentissimae Colybriculae insidiari, non tantum dum in nidulo ovi incubat, Nhamdu-Guacu, sed et illam, ceu figura exhibet, ungulis arreptam jugulare.

Guinambi addimus Ananasae hostem Insectum Indicum, quod inter Metamorphoses Insectorum Surinamensium Meriana, pictoriae artis peritissimae, hincque veterum Aristaretes, Timaretes, Glyceras, Helenasque, (sed quanta haec apud antiquos nomina?) longe superantis, depingitur. Cl. Svvammerdammius in Histor. Insectorum generali p. 84. Edit. Hennin, hoc Scarabaeis aemulum esse vult, et inter Insecta, quae ad secundum Mutationis naturalis ordinem, cui Nymphae-Vermiculo nomen fecit, refert.

Vocatur Belgis *Kakkerlakkie*, detorto, ut Nobiliss. Neuhofius opinatur, a Lusitanico *Kakkalakkas* nomine. Impositum ideo huic Insecto, quod ovula copiosissima, et aranearum more exclusa et coacervata, colore Gummi Laccam aemulentur. Ex his ovulis ad maturitatem redactis, animalcula sibi exitum parant, formicularum magnitudinis hinc inde statim celerrime post exclusionem discurrentia, et per

intimas rimulas arcarum, cistarum, scriniorum loculorumque et serarum aperturas aditum quaerentia; dumque indies corporis mole augentur, eam tandem assequantur molem, quam scita Meriana expressit. Coloris hoc insectum est brunni, flavescentibus lineolis intersectum, caput antennis longioribus instructum, cum ad justam magnitudinem pervenit, illius dorsum rumpit, avolatque Nympha, relictis integris Insecti exuviis. Vix nocentius in Indicis plagis animalculum, cum alimentis omnibus, aliisque e linteis, lanis sericisque confectis rebus, operosissime licet reconditis, exitio fit, dum illos discindit, et arrodit. Neuhofius hoc de illis peculiare annotat, quod in navibus etiam noviter fabricatis nascantur, et quidem tum maxime, cum sub linea versantur, ubi pediculis pereuntibus haec propullulat pestis. Patriam vero resalutantibus navibus, et linea praetervecta, pediculi iterum his insectis succedunt. Dulcibus imprimis inhiant, ideoque infensissimi Ananasae nostrae hostes, fructus ut tandem finem imponam,

- - - quo vix major in ullo

Nobilitas apparet, odos generosior exit

Ambrosiusque sapor, profundens ora liquecit
et rubet asperso leniter color aureus ostro.

- - - - Caro turgida nectare multo

Eatur potaturque simul. Properate, fugaci
Matura deque dapi quid parcitis?

